MATTHÆI VOSSII

ANNALIVM HOLLANDIÆ, ZELANDIÆQVE,

Pars altera:

Quæ eſt de geſtis

COMITVM
ex domo Hannonia.



AMSTELODAMI,
Apud IOANNEM IANSSONIVM.
CIↃ IↃC XLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimis, Potentiſſimiſque.

HOLLANDIÆ,

ZELANDIÆQVE,

PATRIBVS

Matthæus Voſſius felicitatem.

PArtem alteram, AVGVSTI PATRES, Annalium meorum nunc vobis offero, VESTRAM non minus, quam priorem, imo magis, quando eſſe voluiſtis: unde nulla mihi fiducia ad obtrudendum, ſed ſolo obſequio opus fuit. Scriptum mole non magnum; ſed argumento; & ob id haud dubio placiturum. Scio, jam menſes, jam annos elapſos, ex quo merito expoſtulare cum auctore de nimia tarditate potuiſſetis: nec tamen eo mi-

Digitized by Google

nus confido, aperta cunctationis cauſa, non ingratam fore feram, & ſola neceſſitate impeditam parendi voluntatem. Quis etenim admonebit ad mortem uſque cum ægritudinibus luctantem offi-cii? Quis quaſſam navem in mare deduci, aut debilem militiæ dare nomen jubeat? Certe non Vos, AVGVSTI PATRES; quorum ubique erga cives laudatur clementia; ſed ſoli, quibus, quando aliud imperium habent nullum, infræni tantum lingua exercere datur. Ea eſt perverſa hominum natura, ea malitia, ſemper in deterius cuncta torquere, & inviſam reddere ſimplicitatem; quæ facilius tamen opprimitur, quam revocatur. Et meo AVGVSTI PATRES, animo non levem inuſſit dolorem, quod poſt decem continuos,

& amplius,

Digitized by Google

& amplius, PATRIÆ imprimis Hiſtoriæ impenſos annos, non potuerim me utilem civibus mortalibuſque efficere, & in privato publicum agere negotium. In id quiſque naſcitur, & educatur, ubi ætas & occaſio invitat, ut proſit, ſi fieri poſſit multis, ſi minus; paucis; minimum ſuis. Vltimum conatus fui: ut cætera adſequi poſſim, Veſtro pendet, AUGUSTI PATRES, ex arbitrio. Etenim ſi opuſculum hoc, quod memoriam quam maxime bonam & longam quærit, benevolo receperitis animo, procul dubio æternitati, famæque tradetis, & auctoris votorum expleveritis ſummam; qui non alterius favore, quam veſtri, indigus eſt. Nam qualem nunc Vos, AUGUSTI PATRES, feceritis, talem etiam nullius adulatrix

MATTHÆI VOSSII

ANNALIUM HOLLANDIÆ, ZELANDIÆQVE,

LIBER SEXTVS.

EXſtincto præmatura morte Comite, ſucceſſit jure ſuo Ioannes Avennio, ſorore Wilhelm Regis ortus: quem Hollandia digreſſum adſecuti Patrum legati, auctores fuere iter verteret, ſuſpectis Wolphardi liberorum & exulum conaminibus. Accedebat & à populo timor; quos à fato Florentii ſuetos rapto vivere, non poſituros arma, diviſa adhuc Republica, prævidebant. Simul urgebat feſtinationem Flandrorum metus, inlata jam à Trajectinis arma, & diverſa Patrum ſtudia, quæ potiſſimum maturare iter Hannonium adegerunt. Interea Gisbertus Amſtelius, conflata agreſtium manu, ſibi ante poſſeſſa occupat, & Amſtelodamum vallo turribuſque munit. Acre admodum adverſus conjuratos Kenemariorum fuerat odium: ideoque accepto adventus nuntio, Harlemenſibus juncti, prius proditorem oppreſſere, quam metus vulgaretur. Gisbertus, fuga elapſus, veteres repetiit latebras: urbs militum patuit injuriis, inchoataque munimenta ſolo æquata.
Occipiebat jam annus decimi & tertii ſæculi ultimus, quando cIↄ ccc.
Ioannes Avennio Hollandiam ingreſſus, ab obviis Patrum delegatis, & vulgi multitudine (cujus favorem, imperio imminens, conciliarat ſibi) exceptus, Harlemum perducitur, viſendo cogna-

ti Comitis cadaver: & illo majorum tumulo Rhenoburgi inlato, Dordrechti primum, mox aliis civitatibus Comes proclamatur. Talis erat apud Hollandos Reipublicæ forma, ut non niſi cunctis in civitatibus adſumti, in omnes imperium haberent: unde manifeſtum ſingulis earum ſupremum jus, & eſſe arcto tantum fœdere connexas. Primordio Principatus ſopitis odiis, & oppreſſis metu ſui nova molientibus, veteris Reipublicæ faciem inducebat. Sed illam brevi Ioannes Reneſſius turbavit, paternas ſimul opes, & libertatem repetens: *Falſo ſe inſimulari, ut ſocium initæ in Florentium conjurationis; proditoris nomen Wolphardi ſceleribus debere, qui ſpecie amicitiæ ablegatum, Comiti adeo ſuſpectum reddidiſſet, ut proſcriptum bonis cum omni familia, exceptis quos rabies ipſius ſuſtulerat, æterno mulctaret exilio, quia indecorum inimicis ſui capitis permittere arbitrium exiſtimaſſet. Ideoque paratum ſe, Comite, & Patribus coram, data accedundi poteſtate, utrumque diluere crimen.* Quod ut memoria ſcelerum ipſi negatum, ira inflammatus, invitis obſiſtentibus, in Schouanam profectus inſulam, bona obtinuit. Cæterum occupata vi retinenda erant; pauci ad manum milites, & plerique è domeſticis conflati. Vnde, viribus diffidens, Wolphardi liberos adortus, eidem periculo involvit: promtius arma jungentibus ira Comitis, memoria ademti Benſcopii, Iſelſteinii, & Woerdæ. Mox & alii nobilium in partes venere, inviſo pleriſque Zelandorum Avennione. Cui ut nunciatum, arma & equos à conjuratis comportari, proſequente exigua militum manu, Zirixeam tendit, certus prævenire incendium. Sed jam conjurati tantum conficiebant numerum, ultro ut inferrent arma. Prædabundi Schouanam percurrebant inſulam, & omnem incendiis, ipſius in conſpectu Comitis, agrum fœdabant. Inviti ad arma citabantur agreſtes: abnuentes, intentata morte, dare nomen adigebantur. Sed ubi compertum, nova Hollandorum manu firmata Comitis caſtra; ſalutem diutius inſulæ non credentes, in Walachros ſecedunt; ubi Veria oppidum olim Wolphardi,

nunc

Digitized by Google

nunc liberorum, pro munimento fuit. Erat in Walachris ſummus militum præfectus, cum paucis cohortibus, Hollandus Brouwershavius, fide in Comitem nulli ſecundus. Huic ſcribit Avennio, inhiberet hoſtium populationes, & ruinam populi averteret, donec trajeciſſet. Ipſe celerrimas ſtatim navium cum milite ingreſſus, ſævo ſe amni committit. Vix Veria, & Arnemuda, in conſpectu erant, cum viſum littus ab hoſte teneri, inhibendo acceſſui. Cæterum nequaquam à propoſito Comitem periculum dimovit: & ſtatim emiſſi militum aliqui primo impetu excipiendo, donec cætera terram acies teneret. Vix navibus deſilierant, cum ſubito tantus atro nubium globo, mixtus fulminum tonitruumque fragoribus, effuſus imber, & procellis ſimul variis incerti fluctus agitati, ut ſalutis metu trepidi nando naves repeterent ſuas. Comes multo tandem labore, non hoſtium metu, fuga Arnum & Middelburgum tenuit, comitantibus navium paucis. Fratrem ſequi, & imminenti periculo ſe ac militem eripere, Guido ſatagebat: ſed fruſtra, vento, qui ante diſiecerat diſſiparatque claſſem, repente cum imbre ſimul conſidente. Vnde tanta rurſum malacia, ut pigri fluctus magnas vix naves propellerent: minores tamen pleræque Arnum tenuere, exitio majorum, quæ mole laborantes injuriis hoſtium patuere. Nam rebelles, ut deſertas à cæteris viderunt, oppletis milite ſcaphis, unam poſt aliam adgreſſi expugnavere, etiam prætoriam, qua Guido Comitis frater vehebatur: quem vinctum, ut captivorum alios, carceri manciparunt. At hunc dignitas conjuratorum crudelitati exemit: in cæteros variis tormentis ſævitum. Hæc inopina clades quanto magis hoſtes erexerat, eo promtius ad vindictam convocatus à Comite miles; cui ſtimulos addebant fratris captivitas, metu ne tandem in eum idem quod cæteros auderent. Eadem tempeſtate omnis Gallorum Regi, vinculis Guidone Comite, liberiſque ejus addictis, parebat Flandria, & Carolum rectorem habebat. Is nun-

 ciata

Digitized by Google

ciata clade Comitis, & rebellium perfidia, per legatos ſui fratriſque arbitrii diſcrimen fieri ſollicitabat. Indecorum Comiti videbatur cum ſubdito, rebelli, & parricida, de jure contendere: ſed prævaluit Reipublicæ amor. Iuratum utrimque, Regio aut fratris ejus ſtaturos ſe pronuntiato: tanto majore à Comite fiducia, quanto cauſſa potior, magiſque Regi propriam majeſtatem curæ fore confideret. Vt Carolum acceſſere, Guidonis gratia, priuſquam frater adiretur, utrimque captivos dimitti impetravit. Hinc igitur Borſalii, paullò ante à Comite intercepti, inde Guido, liberati. Nec ingratum id Reneſſio fuit, gnarus quantum iis corporibus deberet, & ſi hoſtilia reſumerentur, quantum momentum partibus adlaturi forent. Placebant & Carolo initia coalituræ, ut credebat, amicitiæ: ſtatimque eos, ne mora periculum adferret, Pariſios pertraxit. Vbi adeſſe Rex comperit, ilico utroque adhibito, edicit, non niſi vadibus datis fidem promiſiſſent, arbitri ſe vices obiturum. Pro Comite ſponſores plurimi; pro Reneſſio, multum quamvis adlaboranti, fuere nulli: unde adactus altero ſatisfacere juramento. Suberat tamen adhuc occulta Regi formido, pronunciato haud ſtaturum. Decernit itaque, tanquam utriſque diffideret, ſanguine proximos Ioannis feſto Bierſvlietam ſibi deducendos, & ſimul inducias medium uſque Auguſtum, in quibus de pace ageretur, duraturas. Sed reverſus domum Reneſſius dolere litem Regi ſubmiſſam, quam vi multo majore cum honore diſſolviſſet. Incendebant nobilitatis favor, & felicia hactenus arma: quæ proſequi minus nunc tutum videbatur, quando Gallum ultorem rupti jurisjurandi habiturus eſſet. Eo validioris ratus aucupandam gratiam, Cæſarem Albertum adit. Eiſdem diebus Ioannes toparcha Hueſdanus, Comitem accedens adverſus Ducem Brabantiæ auxilia ſollicitabat. Armorum cauſſa lis inter ipſum, & Sylvæducenſes oborta; quam omni alia vindicandi ſpe ablata, ferro dirimere inſtituit. Ægrè hoc adeo latum Brabantiæ Duci, ut protinus

Digitized by Google

nus ductu Seneſchalli Hueſdam milite circumveniret. Sed hunc, impetratis jam à Comite ſubſidiis, aggreſſus toparcha ita cecidit, ut protinus vitæ fuga conſuleret. Indignum id Brabanto viſum, ceſſiſſe ſuos: eo damnans per alios acta, ipſe caſtra movet, urbemque, metu adventus à milite deſertam, occupat. Haud ſatis jam ſubſidii in Comite, aliis intento, toparchæ erat: eo ſupplex ex hoſte factus, amicorum interventu, ea lege gratiam meruit, ſi fidem, omiſſis Hollandiæ Comitibus, Brabanto obſtringeret. Sic Hueſda illis ceſſit: tanto facilius, quanto Comiti minus vacaret vindicare injuriam, aut arma Brabantis inferre, majoris belli metu, quod Cæſar Albertus, inſtinctu rebellis Reneſſii, ſociorumque ejus, parabat. Is parum fidens Gallo, Albertum Cæſarem hujuſcemodi verbis ad bellum Avennioni inferendum concitabat. *Si adverſus Dominum, Imperatorum maxime, ſupplices arma poſtularemus, haud dubie ſuſpectæ preces rejiciendæ forent: nec is accedundus eſſet, qui improba in Principem execratur machinamenta; ſed ut vindex exſpectandus. Etenim pro dignitate majeſtatis cuivis Principi omnis generis injuriæ aut curæ ſunt, aut eſſe debent, quæ ipſius ſub imperio inlatæ. Sed non illa querelarum cauſſa: citra voluntatem tuam, & Patrum, imperitantem nobis Comitem ferre non poſſumus. Liberi non niſi ſponte in ſervitium eunt: nec facile ferunt, quem odio proſequuntur. Nunc tamen inſano plebis ſtudio, datus tyranno ad Rempublicam invadendam locus: & ſolium illi, cui tu dederis debitum, tenet improbus adulator plebis Avennio. Per hanc rerum potitur, & perſequitur adverſantes; ſimulque te contemnit, qui tamen imperium ipſi & ſtabilire, & eripere potes. Vocatus à Patribus, occiſo Florentio, Reipublicæ curam in ſe recipiens, ſedulo ad ſe variis trahebat artibus Hollandos. Hoc cum Patribus ſuſpectum foret, arceſſendum Anglia Ioannem Comitem ſtatuere, ne diuturnitate imperii quod juſte habere non poterat, ejus invaleſceret auctoritas. Ille redux, cum vix patrios ſalutaſſet lares, inſidiis Hannonii petitus occubuiſſet, ni prudenti conſilio Wolphardi ad tempus fuiſſet periculo exemtus. Sed hunc populi ubi furor abſtulit, breve poſt temporis ſpatium inſequitur Comes. Revocatus ad tutelam*

 Hanno-

Hannonius erat, & vix, proh nefas, in ſe receperat onus, cum, quo criminis inſons videretur, iter Gallicum prætendens, Comitem intoleranda audacia infectum veneno reliquit, ut imperium ſceleris præmium haberet. Exſtinguitur natorum Florentii, & regnatricis domus in Hollandia noviſſimus: redit, & imperium, ſpreto te, ſceleratiſſimus invadit parricida. Applaudit populus, & ignarus de ſemetipſo triumphat. Obſtitere quidem Patres; ſed tempora non ſinebant inſanientem compeſcere multitudinem: quæ non facile reſumit obedientiam, quando ſemel licentiæ patefacta eſt via. Nos Zelandorum opera cuncta conati, defectu virium, cœptis deſiſtere pene fuimus adacti. Eas nunc à te petimus; in quis unica ſalus & noſtra, & tuorum. Nam tui ſumus vacuo apud nos ſolio; & futuri donec novum dederis principem. Illum poſtulamus, & ſimul ne imperium ullo mactetur detrimento, ac alterius per ſcelus creſcat poteſtas. Sed armis opus, quæ citra non alium Hollandis, quam Hannonium obtrudas. Subſidio armata centum navium claſſe veniemus, & omnes nutui tuo intenti. Parva quidem manus; quæ tamen ſi hoſtis vim arcere nunc potuimus, quid fiet ubi una militet imperii robur? Innitatur ille Gallorum Regis favore; quorum facile levitatem, ardoremque, Germanorum evertet conſtantia. Nihil tibi tamen adverſum hos molis erit: cauſſa Avennionis Regi infra pretium armorum futura, Germanis ubi rem curæ ſenſerit. Hollandus Hollando milite ſternetur: quorum nobilitatis defectum ſpondeo, & è vulgo plurium, qui facile Comitem deſerent, ubi te judice, ſe fruſtra videbunt coluiſſe. Procede modo, & victor eris. Unicus labor, inceſſus reſtat; cætera in promtu. Metu adornabunt fugam; ad quam ſatis, contuſus nuper à te Adolphus Naſſovius, cujus animi magnitudo plus metuenda fuit, quam hujus vires. Dixerat, & ilico Cæſar, ut deſtinata procederent, miſſis ad Hollandorum civitates literis, defectum ſollicitabat: ſed neque promiſſis, aut minis, ad tantum facinus impellere valuit, potiore apud eos Comite. Imo ſingulæ delatis ad Avennionem tabulis fidem probavere. Is tanto animoſior experimento, omnes ad arma vocat juniores. Interea & Cæſar, comitantibus Epiſcopo Moguntino, Colonienſi, Trevirenſi, Cliviæ Comite, aliiſque Germaniæ principibus, Noviomagum uſque venit.

Priuſquam

Digitized by Google

Priuſquam tamen tenderet ulterius, aut hoſtilia tentaret, vocat ad ſe Comitem, incolumitatem promittens accedundi, ad occupatæ Hollandiæ reddendam rationem. Ad ea Comes: *Nihil in Hollandos Zelandoſve juris Cæſari. Libertatem adeundi non expoſtulatam: venturum vel præter voluntatem. Cæſar ſi pacato veniret animo, honori fore; ſin hoſtili adeſſet, id operam daturum, ne ſine exiſtimationis detrimento Hollandicam expeditionem ſuſcepiſſe dicatur.* Simul hæc educit militem, & ſuam ditionem Laurentii die emenſus, Bolſwardiæ haud procul Noviomago caſtra metatur. Medio tempore & Friſiorum venerant auxilia; ſed, recenſito exercitu, domum remiſſa: ſatis dictitante ſibi adverſum Imperatorem virium. Metuebat forſan cruda adhuc ſervitute, quia hoſtem dominum agnoſcebant, vel medio in certamine defectionem auſuros: quippe novandarum rerum avidos, & pro libertate ad temeritatem uſque audaces. Cæſar ut in procinctu Hollandos, & ſupra fidem numerò cognovit, metuere ſibi, & Reneſſii dolum ſuſpectare, quod necdum adeſſet. Parum aberat, quin ſuos repeteret, (jam enim Craneburgum, Clivicæ ditionis munimentum, conceſſerat) ni conſilio Colonienſium Antiſtitis ſubſtitiſſet. Qui indecorum Cæſari ratus, Avennionis metu abitum moliri, conaminibus, cum nihil ultra ſpei, abſtulit ignominiam, impetrata pacis feriundæ poteſtate. In caſtra ubi Comitis venit, adſerebat, *Eluſum Reneſſii dolis Cæſarem, poſtquam ſaniora cognoviſſet, paratum ſancire fœdus.* Avennio, cui ſatis ad gloriam, ut prior pacis leges peteret, adegiſſe Imperatorem, de conditionibus egit: at cujuſcemodi fuerint in veterum ſilentio referre non datur. Sunt tamen, qui retulere, expoſtulatum à Cæſare, atque adeo in caſtris ejus dictum à Comite obſequii juramentum. Verum ſilente Stokio, eorum temporum æquali, parum id mihi fidei meretur; maximè cum idem prodiderit, nihil Imperatoribus unquam juris in Hollandos fuiſſe. Compulſo ad mitiora Cæſare, victor Comes domum remeans, Dordrechti ſubſtitit, conatui rumpendo Reneſſii,

Digitized by Google

neſſii, centum navium claſſe per Leccam amnem Imperatori ſubſidio tendentis. Sed is poſtquam tertio à pace ſancita die Cæſarem adiit, cognovitque omnem in Alberto collocatam ſpem evanuiſſe, Zelandiam repetens, novum maturabat ſuorum viribus Comiti bellum inferre. Verum Avennio jam Leccæ oſtium, jam Merwedam navibus inſidebat, ut interrupto curſu mutare iter, & Vahalis fluenta petere cogeretur. Quod ubi ab Arkelio Comiti denuntiatum, ſtatim eo vela direxit: quippe debellatum erat, ſi Zelandia arcerentur. Sed illi, omni ſpe revertundi præciſa, relictis ad Hueſdam navibus, ipſam Hollandiam irrumpunt, fiducia Nicolai Catzii, Schonhovianorum toparchæ, qui ſuam ſuorumque opem pollicitus, recipere in urbem, & media in Hollandia maximum meditabatur incendium. Cæterum cives, ut in procinctu conjuratos cognovere, dolum toparchæ ſuſpectantes, ipſum urbe pellunt, & adventantes procul miſſilibus ſubmovent, adegeruntque re infecta Brabantiam fuga petere, ubi Bergis ad Zomam à loci toparcha in urbem ſunt recepti: contra quam Snojo viſum, qui prœlio congreſſos, & quingentis ſuorum amiſſis, alio rurſum convertiſſe iter tradidit. Catzius jam manifeſto in ſcelere deprehenſus, caſtello Schonhoviæ adſito ſalutem credidit, & defenſionem adverſum ſuos, qui circumvenerant, audebat. Quod ubi Comiti compertum, ilico ut perſiſterent cives, aliquot Friſiorum cohortes ſubſidio miſit. Iamque indies obſeſſis cuncta reddebantur arctiora, cum Catzius ſerviundum neceſſitati cernens, vitam modo ſibi ſuiſque pactus, cætera Comitis arbitrio permiſit. Ad quem deductus, tanquam rebellis ac proditor Nieuburgi in vincula conjectus fuit. Ita condignam ſceleri pœnam ſortitus, & Hollandiam magno ſimul metu liberavit. Haud enim dubium erat, hæc ſi machinamenta ſucceſſiſſent, cætera nobilitate infecta, magnum fuiſſe periculum adituram Rempublicam. Hujuſcemodi apud Hollandos rebellium fortuna erat: at in Zelandia non minus acriter ab
Ioanne

Ioanne Oſtervandio premebantur. Scripſerat huic, movens in Albertum Avennio, ſi rebellium modo principes Cæſarē adirent, ut ipſe nihil tentaret; ſed omnibus intentus, conſilia ſpecularetur: ſin robur una militum traherent, eorum vaſtaret agros, pagos, & caſtella everteret. Similis etiam argumenti literas ad Wittonem, Hamſtedæ toparcham, nothum Florentii Comitis, miſerat. Nec alteruter ſocordiæ accuſari meruit. Vix enim eduxerant Zelandia militem, cum Oſtervandius Baeſdorpium caſtellum, haud longè Middelburgo abſitum, aſtu intercepit, dumque militi cuncta permittit, præſidiarii omnes ferro trucidati: unde Immiſericordis ipſi ab hoſtibus cognomen inditum. Is terror ſuffecit cæteris rebellium Walachria pellendis. Vnde in Bevelandiam trajiciens, & illam ſola adventus fama purgavit. Romerſwali erat, cum nuntii adferrent, Reneſſium, & conjuratorum alios, Berga ad Zomam tranſitum ad Zelandos moliri, & ni maturaretur, Tolenſibus imminere periculū. Raptæ ilico eo copiæ, & ſubito acceſſu tantus hoſti metus incuſſus, ut fuga ipſas dererent Bergas ad Zomam. Interea & Witto, opera Zirixeanorum, Schouanam inſulam hoſtili liberavit metu, ita ut ſolam jam Trojanam arcem in Zelandia inſiderent rebelles: verum & illi, quamvis ipſe ex Borſaliis præſideret Florentius, non auſi exſpectare adventum Oſtervandii, perniciem fuga evaſerunt. Pulſis hoſtibus, Comes, Arnemudam veniens, victorem à Trojana arce revertuntem filium ſuſcepit: quicum Middelburgum profectus, commendata ipſi Hollandia, Zelandiaque, in Hannoniam abiit. At mox, animo aliquid præſagiente mali, ad Hollandos reverſus, maluit Hannoniam filio commiſſam. Qui eo conceſſit elabente anno, quem ſæculi decimi & quarti primus excepit. Exordio e- cIↄcccI.
jus Reneſſius meridionalem invaſit. Bevelandiam, & imperio ſubdidit, excepto Goeſæ oppidulo. Hujus quoque oppugnationem auſus, diu fruſtra adlaboravit, ſtrenue rem gerente Balduino Kervinxii filio, caſtelli præfecto. Vnde tædio diuturni laboris alteram

ram exercitus partem prædatum agros miſit: quod ad arma injuriæ maxime obnoxios concitavit. Conveniunt Brouwershaviani, Tolenſes, & Portvlitani; ac illos incendiis agrorum domuumque incumbentes adgreſſi, ita mulctarunt, ut octingentis, ſi Snoio fides, amiſſis, aut captis, ſocios repeterent. Reliquiæ in caſtra magno ſilentio receptæ, & alias inter cohortes diviſæ, imperato prius ſilentio, ne clades vulgaretur. Nihilominus ipſi cæſum ſpargere Comitem, vexilla, tanquam intercepta, mœnibus circumferre: & cuncta hæc ad timorem concitandum. Conſidere in obſeſſis animus, & vera credentes, ipſo auctore Balduino, incolumitatem pacti, oppidum tradidere. Iam Catzium uſque caſtellum ſolvendo obſeſſos pervenerat Comes, cum nuntii adferrent, proſtratos rebelles, & metum cæteris incuſſum. At brevi lætitiam interrupit fama occupatæ à rebellibus Goeſæ. Vnde ira inflammatus movet, & hoſtes tanta militum manu mulctatos, præcipiti fuga Brabantiam petere adegit. Hoc metu liberatus, Zirixeam mox, & inde donec abeſſet, imperio Guidoni fratri, filioque reverſo jam conceſſo, Hannoniam petiit. Vix eo venerat, cum repente nova belli moles. Pulſus Trajectina urbe, domeſtica ſeditione, ab Huberto Vianæ, Zuedero Montfortii toparchis, Ioanne Linſchotano, & Iacobo Luchtenburgico conſule, Wilhelmus Antiſtes, inſtinctu Pontificis, ope Monaſterienſium Epiſcopi, & Tranſiſulanorum, magnam conflarat manum; jamque civitatem obſidebat. Et tanquam non ſatis hoſtium haberet, ne ſegnis uni urbi adſidere videretur, Hollandos armis provocavit. Concitabant eum innexi conſcientia ex Hollandorum nobilitate cum Trajectina plures; tum detentus Amſtelius, Woerdanuſque ager, quem SanctoMartino, poſtquam omnis Florentii ſoboles ſublata foret, adſerere conabatur, & occupatæ Comitis, Guidoniſque manus; cui hæc loca exordio principatus feudi nomine tenenda Avennio conceſſerat. Itaque dum miles in armis, valentiſſimo quoque adſumto, Hollandorum agrum incurrit,

Digitized by Google

currit, & populando vaſtat. Commune periculum, odio Antiſtitis, excivit Henricum Burchgravii titulo Leidenſibus præfectum, Theodericum Waſſenarium, Simonem Benthemienſem, & Iacobum Woudanum: quippe cuncti Vianæ Monfortiique toparchis addicti. Vt in conſpectu agmina conſtitere, utrimque aciei poteſtas facta; & Epiſcopus, quia multitudine valebat, à fronte lateribuſque ſimul aggreſſus hoſtes, quamvis egregie reſiſtentes, in fugam egiſſet, ni Suederus Montfortius, fama pugnantium percepta, copias ex urbe Hollandis ſubſidio duxiſſet. Hinc noſtris animus, hoſtibus metus. Quando Epiſcopus, jam inferiores ſuos conſpicatus, temerario facinore, quo obverſantium turbaret ordinem, paucis comitantibus, mediam aciem ſemel iterumque impune perrupit, nemine auſo ſacroſancti corporis ſanguine manus ſuas fœdare. Tandem tamen reperti, ne pericula intenderentur; qui tertio conantem pervolitare equo deturbarent, vulnereque capitis viderent deficientem. Secuta hinc Monaſterienſium, & Tranſiſulanorum fuga; quorum plerique facti temeritatis alienæ comites. Is exitus Wilhelmi Mecchlinienſis, Trajectinorum Antiſtitis fuit: qui ut ad Guidonem perlatus (quem Epiſcopi interfectorem, & omnis machinatorem doli, cum nec prœlij commiſſi fuerit gnarus, immerito vocat Meierus) ilico Hollandiam ipſe, fratrem per literas adiit. Comes nuntio accepto, probata ſuorum virtute, quod tantæ molis bellum patraſſent, Trajectum advolat, ſollicitando ut in occiſi Antiſtitis locum frater eligeretur, tum præfectus ærarii Eccleſiæ Leodicenſis. Contra alii pro Rudolpho Waldeccenſi, Eccleſiæ majoris apud Trajectenſes præpoſito, nitebantur: ſed vicit pars quæ pro Guidone ſtabat, cæteris metu Comitis mollius agentibus. Rudolphus ad Tranſiſulanos confugit, & inde terrorem incutiente adventu Guidonis, in exilium abiit: non enim tutum videbatur omni jam ope & favore deſtituto ſubſiſtere, aut quicquam moliri. Comes, cui ſatis erat allatum metum, com-

Digitized by Google

mendata uni filiorum Hollandia, & natorum alteri Wilhelmo Zelandia, ſuos repetiit Hannonios: ubi filiam Margaritam Roberto Atrebatium Comiti collocavit. Sed illi brevi fatum attulere inſurgentes adverſum Gallos Flandri, quos nimium Regii exactores premebant. Duce Petro Rege, fullonum uno, primi Brugenſes turbas dederunt: & quamvis mox ſedati præſidis interventu, poſtquam tamen urgere non ceſſarent, iras reſumſere.
cIↄcccII. Initio anni inſequentis, qui ſæculi hujus ſecundus erat, ad arma itum, animos addente reverſo ab exilio, in quod ab Gallis actus fuerat, Petro Rege; cujus ſagacitati multum fidebant. Præſidiarii ſtatim omnes, quotquot Gallici nominis erant, urbe pulſi, & mox univerſa, excepto Gandavo, ceſſit Flandria, inſtigantibus Guidone Namurcæo, & Wilhelmo Iuliacenſi; quorum ille filius Comitis Guidonis, alter è filia nepos erat. Nec dubitavere aliquot cohortibus ſubſidio ire. Hoc ut Philippo Gallorum Regi nuntiatum; è continenti Roberto Atrebatium Comiti, fido admodum ſibi, rapere in hoſtes militem, & priuſquam invaleſcerent, opprimere mandat. Qui educta, quantum poterat, Gallorum Atrebatumque manu (quis ſubſidio, ſoceri juſſu, Oſtervandii Ioannis ductu, Hannoniorum cohortes venerunt) ſtatim hoſtem & aciem petit. Ivere obviam Guido, & Iuliacenſis, parati ſummis viribus diſcrimen adire; quando non niſi in armis ſpes, & cuncta uno ex hoc prœlio penderent. Acceſſit & Reneſſius, exulumque alii, locata Flandris opera, invictam bello manum una trahentes: nec tamen ſupra quadringentos fuiſſe refert Mejerus. Curtracum prope & Regii, & Flandri, convenerunt, numero pene pares, Galli dignitate ſuperabant. Mox ſuos quiſque hortati, ſtringunt ferrum, Gallis pro dominatu, illis pro libertate certantibus: quæ quanto gratior expertis nuper ſervitutem, eo obſtinatiores cuncta adverſum pericula reddebat. Exſtimulabat etiam, ſumta ſi arma improſpere ceſſiſſent, majoris tyrannidis metus. Vnde pervicax ad mortem uſque animus, juratumque,
Digitized by Google

tumque, victis non niſi hoſtibus, domum remeare. Et Galli cedere toties devictis indignantes, ſuſtinuere acriter vim, donec tandem ducibus amiſſis, occiſo ſimul cum Atrebate Oſtervandio, qui alterum cornu ducebat, fugam capeſſere adacti. Hinc ſimilis ruinæ ſtrages, prementibus veſtigia victoribus. Flos Gallicæ nobilitatis ferro interemtus, pauci militum fuga elapſi; quorum reliquiæ miſerum ſuis reverſi ſpectaculum præbuerunt. Indigne latum Flandris, Oſtervandium Gallo militaſſe: & viſus ideo dignus injuria Hannonius: cujus agrum anno ſæculi hujus tertio, cIↃcccIII.
invadunt, & Leſſiniam, munitiſſimum ad eorum fines caſtellum, expugnant. Solis cum Hannoniis hoſti victoria ferocienti impar Comes erat: quare miſſo ad Hollandorum Zelandorumque Patres delegato, orat tantum è ſuis ipſi finibus bellum Flandro facerent, ut omiſſa Hannoniæ populatione, propria defendere cogerentur. Poſtquam in medium conſuluere, decretum id dare Principi, & mox ad arma itum: quod Reneſſio maxime gratum accidit; qui jam dudum Guidonem Namurcæum, & alios Flandrorum ductores, donec bello Gallico attinerentur, fruſtra adverſum Hollandos exſtimularat. Nec diſplicebat occaſio Namurcæo; cui donatum à parente omne, quod ſe habere credebat, in Zelandos jus, animum tanquam ad ſua iret repetunda, addebat. Extincto enim abſque liberis Florentii filio Ioanne, ſui rurſum juris videri Zelandiam volebant. Et Guido, ut ferox animi erat, jam ſpe univerſam poſſidebat: cujus & ſtudia piſcatores, ac maritimæ civitates Flandrorum, adjutavere. Nam perpetuo adverſum Hollandos excubandum erat, ipſorum maxime detrimento. Igitur Guido cum fratre Ioanne jubet convenire in Catſandia militem; unde promtiſſimus ad Zelandos trajectus erat. Quod ne fieret, prævenit Wilhelmus, titulo jam Oſtervandii poſt fratris fatum auctior; & valentiſſimo quoque Zelandorum adſumto, in Catſandiam tranſmittens, omnia ferro ignique vaſtavit. Obviam venere cum Namurcæo Iuliacenſis, & exulum dux Reneſ-

 ſius.

ſius. Acriter dimicatum: ſed vicit fortuna Wilhelmi, exactique tota Flandri Catſandia: quam victor pervagatus, Arnemudam revertitur: ubi, in aliorum gaudio, ob confuſos noviſſima victoria Flandros, non defuere, qui occulte illorum exulumque fortunam deplorarent. Hi jam ab initio Oſtervandii ſe gratiæ inſinuando, animum juvenis haud ſatis ad ea circumſpectum, ita occuparant, ut cuncta ab ipſis profecta amplecteretur. Vnde ſpecie amicitiæ facilius erat fallere, & conſilia ſuggerere exulibus hoſtibuſque profutura. Catſandicæ autem idcirco expeditioni non obſtiterant, quia rebantur, victricibus Flandrorum armis Zelandorum virtutem procubituram. At ubi ſpe ſua fruſtrati, animum prudentiorum judiciis expoſuerunt. Et ſtatim occurrit, ut ſuaſiſſent, ne victoria ſua uteretur Wilhelmus. Statuerat enim is fugientes perſequi, & ipſam armis invadere Flandriam, minori ſubditorum incommodo hoſtili in ſolo bellum geſturus. Sed illi, cum & cæteros Patrum numero, & gratia, apud juvenem præcellerent, continuo evicere, ut miſſionem militibus daret, & ſacramento ſolveret: *Satis*, dictitantes, *gloriæ partum, & incuſſum metus Flandris noviſſima hac victoria: ſatis etiam vindicatam Hannoniæ inlatam vaſtitatem. Nec auſuros iterato laceſſere Zelandos; quando & durantibus induciis, perpetuo ipſis ad Gallorum fines eſſet excubandum.* Non ſenſit dolum Wilhelmus, cunctoſque milites exauctoravit. Quod ubi exulibus nuntiatum, hortari Guidonem, maturaret reditum, & vacuam milite Walachriam invaderet. Sed dubius, an fides foret habenda proditoribus, miſit, qui conſilium Reneſſii ſciſcitarentur. Is auctor, arma reſumenda, feliciorem promittendo exitum, quando machinamentorum ipſe conſcius foret. Septimo kalendas Maij hoſtes ad trajiciundum ſtabant parati, cum Wilhelmo arma eſſe reſumenda nuntii adferrent. Revocatus miles mox adfuit, multum mirantibus exulum fautoribus. Et, non auſi obſtare delectui, ne manifeſto in ſcelere deprehenderentur, id egere, ne obviam ire maturaretur. Vliſſinga ſolvens

Digitized by Google

ſolvens claſſis hoſtem ſimul & certamen ante oculos habuit. Verum ne congrederentur, in cauſſa erat lenior aura, & conjurati, ſuadentes identidem, ut operiretur hoſtium Arnemudæ adventum. Vix eo venerat, cum & Flandri, portum, ne cui egreſſus pateret, obſederunt. Pronus ad navale prœlium Wilhelmus erat: ſed turbata rurſum conſilia. Et cum inſtaret Oſtervandius, militi perſuaſum, certam imminere perniciem, ſi fervida potius, & ſpecioſa juvenis, quam ſana ſectarentur conſilia. Ita ſuperſedere certamini adactus. Interea Guido Veriam curſum intendit: ad quam urbem debellandam ſatis fuit unà militare Borſalium. Nam ejus oppidi cives, viſa rebellium claſſe, mox eam, prætore, quem Hannonius dederat, trucidato, in urbem receperunt. Ardebat obviam ire Wilhelmus: ſed ne adverſa annis imputarentur, convocatis Patribus ſingulorum inquirit ſententias. Trahendum aliqui bellum, & frumentationem hoſtibus impediendam; alii decernendum ſtatim ſuadebant. Sed vicere iidem deterioris ſemper conſilii auctores. Qui, neutro probato, perſuaſere, divideret copias, *nec eſſe ſub uno fortunæ ictu univerſas imperii vires periclitandas. Excitos omnes armis idoneos, & ſi ſuccumberet, totam milite vacuam prædæ fore Zelandiam. Nudata præſidiis oppida, agreſtium paucos in agris relictos; eoſque aut ſenes invalidos, aut pueros. Nec opus tanta militum manu adverſum ſemel minoribus copiis fuſos. Fama conſtare bella, & potiorem videri, cui prior fortuna faviſſet.* Ita, ſpretis melioribus, deterrimi valuerunt. Miſſi protinus domum, Brouwershavienſes, Cruningani, & Bevelandi, ſua ſi peterentur defenſuri. Et prætervecti Flandrorum claſſem, vix viſo hoſte remearunt. Hoc ubi Flandris nuntiatum, eduxere ſuos, & in aggere, qui Arnemudam fert, acie inſtructa inceſſerunt. Arma opponere conantem Wilhelmum impedivere proditores, &, ut ante, (certam necdum ſatis fabricatam Zelandis perniciem rati) auctores fuerant, non univerſas ſimul copias diſcrimini ſubjiciendas: ita nunc evicerunt, *non oportere imperatorem pugnæ intereſſe; ſed ſeponendum, & plus in*

ejus

ejus corpore, quam toto ſuum exercitu; quando non facile alium ducem hoſtibus parem reperturi. Patrem annis gravem, fratrem admodum adhuc puerum, & Guidonem Antiſtitem nunquam eo animo aliena, quo ſua defenſurum. Partem modo copiarum in hoſtes mitteret, ipſe ſecurus victoriam ſuorum, & ſtragem hoſtium, è mœnibus contemplaretur. Sin pedem ſui referrent, ſufficere detentam manum ſubigendo defatigatos. Subeſſe fraudem conſiliis necdum ſenſerat Oſtervandius, & cæteri Patrum ſemet opponere non auſi, ne velle Principem objectare periculis viderentur. Datum itaque ſtatim in mandatis militiæ præfecto, cum Schouanis Duvelandos in hoſtes rapere. Sed illi detrectavere in manifeſtum ruere exitium, ni una Zirixeani mitterentur: quorum juſto poſtulatu nihil denegatum; ſed & Middelburgenſes additi: qui ultimum agmen, ut Zirixeani medium, tenuere: cæteri propriis etiam compoſiti cuneis. Interea adventare hoſtes, fremitumque latè audiri nuntiatur. Directa ſtatim è diverſo acies, & redditur utrimque clamor. Sed locus juvit hoſtem, quem priores occuparant: nam ex aggere inſeſſo impune in ſubeuntes tela mittebant. Suſtinuiſſent tamen vim Zelandi, ni Paullus Blauvoetius rebellium in gratiam ſigna transferens, impetum in ſuos vertiſſet. Vnde perculſus improviſa proditione miles, pedem referebat, & ſimul à ſociis hoſtibuſque cædebatur. Millia quatuor interemta refert Snoius: tacent cæteri Annalium ſcriptores. Victor Guido Arnemudam petit; ubi cum paucis adhuc militum Oſtervandius degebat. Qui clade ſuorum percepta, dolore & ira percitus, tandem eluſum ſe videns, nec jam diſſuadentibus iter proditoribus, oppido militem, & in hoſtes ſimul ducit. Sed cæſi ad internecionem omnes, ipſo vix fuga Middelburgum evadente. Inſequitur victore cum exercitu Guido, & urbem caſtris circumvenit. Fixum erat Oſtervandio, exſpectare impetum: ſed annonæ adactus penuria, tranſegit, & in has conditiones itum: *Middelburgo tradito, abeundi Wilhelmo concederetur poteſtas: jura civitatis incolumia manerent; neve exactionibus, aut aliis oneribus,*

Digitized by Google

ribus, attererentur. Ita ceſſit Guidoni omnis Walachria. Oſtervandium, in caſtra hoſtium tranſgreſſum, parum abfuit, quin, rupto jurejurando, Namurcæus detineret; ni Ioannes Reneſſius pactis ſtandum, ſi affectaret in Zelandos imperium, admonuiſſet. Veruntamen dimiſſum, & Zirixeam tendentem, poſtquam ſumtis obſidibus novum veteri Middelburgenſium ſubſtituiſſet magiſtratui, ilico inſequitur. Vix venerat Oſtervandius, cum adactus, ſubeuntem mœnia hoſtem operâ civium miſſilibus procul ſubmovere. Id ubi male Guidoni ceſſit, in Duvelandiam trajecit, inſulam Zirixeanis adverſam, & nulla urbe nobilem. Portus tamen, ne cui exitus pateret, navibus inſeſſus: nonnunquam etiam expoſitus miles urbem adſultabat, parvo admodum emolumento. Dum hæc geruntur, percrebuit, cæſos Zelandos, amiſſam Walachriam, & Wilhelmo, ac Zirixeanis imminere periculum. Quare Guido Antiſtes, quia frater longius aberat, vocare ad arma Hollandos. Sed illi, quamvis precibus, conſilio, & auctoritate flectere conaretur, detrectavere imperium: ſueti non niſi ſuis parere Imperatoribus. Cæterum, adveniente ex Hannonia Comite, ingens ſtatim armata adfuit multitudo. Convenere Schiedami, unde commodus ad Zelandos trajectus. Bellicus Comitis paratus hoſtem maturare compulit, & Zirixeæ obſidium majore vi ordiri, tanta fiducia urbis potiundæ, ut cum adventu ceſſuros crederet. Auditi militares in Duvelandia ſermones, inſultantium audaciæ Zirixeanorum, quod pares ſe & moli, & Flandrorum impetu videri vellent. *Quinam,* inquiebant, *Gallorum bellicoſiſſimæ gentis adſperſos ſanguine, Leſſiniæ munitiſſimi caſtelli, & pene ipſius naturæ victores ſuſtinere poterunt? Miſereri eo inſaniæ Zirixeanos eſſe delapſos, ut munimentis arcere vim, & ſuam una defendi poſſe ſalutem credant. Sapientes cedere fortiori, & ruinam non arceſſundam, quando caveri poteſt. Si traderent urbem, incolumitatem habituros; obſtinatione omnibus addictos periculis. Avide arripiendas victorum, dum fieri poteſt, leges; quos poſtea, non niſi armis, propoſito dimoveas.* Ita verbis,

Digitized by Google

bis, clamoribuſque, ſeſe mutuo animabant. Sexta obſidii hebdomas agebatur, cum Guido, trajecto amne, nullo reſiſtente, in Schouanam pervenit inſulam, & ſtatim ultra quinque millia urbem oppugnatum caſtris emiſit. Vidit adventantes Oſtervandius, & ilico, clauſis undique portis, excipiundo impetu, paratum ſe tenuit. Potiore manu id latus ipſe occupabat, quod hoſtes petituri videbantur; cæteri ſuis locis diſpoſiti. Interea Flandri, ſucceſſu rerum pleni fiducia, urbi appropinquabant, cum Oſtervandius ſolutis portarum repagulis, aggrediuntium urbem latus invadit: tantumque intulit terroris, ut pauci armorum memores, plures fugæ forent. Sed, noſtrorum facta palam paucitate, converſi, acriter mox reſtitere: unde dubium ad tempus certamen. Hoc ut cæteris innotuit Zirixeanorum, averſa, qua pugnabatur, urbis parte eruere, & per diverticula viarum incedentes, eodem tempore ſe hoſtibus, & noſtris, oſtenderunt. Hinc utrimque languor medio in certamine, dum ſpe & metu attinerentur. At ubi omnis dubitatio oculis exemta, mox ſe fugæ Flandri, & occaſionem ſtragi dedere. Multi ferro interemti, plures ſubmerſi, cum negato terreſtri itinere, quod obſidebatur, non niſi per aquas reditus daretur: quas tranare conati, armis & veſtitu graves, ignobilem oppetierunt mortem. In univerſum mille quingentos periiſſe, Annales teſtantur: addit Snoius, trecentos inſuper captos. Si majores adfuiſſent Wilhelmo copiæ, videbatur & univerſus deleri potuiſſe Flandrorum exercitus: nam vario tumultu, clade percepta, agitabantur. Reneſſius, aliique exulum, certamini non interfuere: qui multum cavebant, ne ſuorum paucitas minueretur. Gaudebant interim, Flandrorum ſanguine patriæ ſe reſtitutos. Clade hac kal. Majis accepta, Guido fatigatus, ſtatuit, ſoluto obſidio, ipſam armis petere Hollandiam. Cogitabat, brevi ſe temporis ſpacio Walachros, & Zelandorum alios, ſubegiſſe: ideoque indignum circa unius urbis mœnia hærere, majoribus interea omiſ-

ſis

Digitized by Google

ſis oportunitatibus, dum Hollandos, victoriarum metu perculſos, debellare haud arduum eſſe videretur. Sublatis itaque caſtris Widelam navibus petit. Quod ubi Comiti nuntiatum, ad milites converſus, *Annis,* inquit, *commilitones, & ſenio invalidus, veſtro urgente periculo, vos acceſſi, imminentem prohibiturus, quam jurati hoſtes Flandri minantur, vaſtitatem: quibus non ſatis ereptam tenere Walchriam, cæteramque ſola excepta Zirixea, Zelandiam, ni Hollandiam unà tanquam potiſſimum obtineant laboris præmium, gnari incolumem occupatorum poſſeſſionem, non niſi his debellatis, habituros. Per trecentos pene vobiſcum annos luctati, quid præter vulnera retulerunt? Et idem nunc ipſos manſiſſet exitus, ni ſceleratorum quidam Guidonem potius Comitem, quam me, maluiſſent. Suis Zelandi armis, ſuis conſiliis ſubacti. Fraude aliena, non vi ceciderunt: & obruti potius, quam debellati. At vos, commilitones, quos non duplex hoſtium terret victoria, nec numerus, qui gravioris plerumque cladis occaſio, ite alacres obviam laſcivientibus, & nimia ebrios fortuna compeſcite. Armis robur adeſt; quod in vobis nunquam iidem toties contuſi hoſtes deſiderarunt: nec ego verbis, ne dubitare videar, extollere velim, ſatis certus, nec mihi defore militem, neque vobis imperatorem.* Excepta magno applauſu verba, Principi animum addidere, decretumque operiri hoſtem. At ille, ubi omne diſcrimen ante oculos, ſtitit curſum, & miſſo caduceatore de induciis egit: tandemque hiſce conventum conditionibus: *Singuli, durante bello, occupata retinerent. Zirixea non fortius, quam eſſet, muniretur: quibus, ut & Hollandis, libera maneret apud Zelandos bonorum poſſeſſio. Integrum omnibus ab hoſtico in hoſticum iter relinqueretur. Reneſſius, exulumque cæteri, pactis non includerentur. Rumpendi inducias utrimque poteſtas fieret: duraturas interim menſes quatuor, ab eo, quo alteruter renuntiaſſet die.* Hæc ubi inter milites dimanarunt, fremere cuncti: *Convocatos ſe ad Zelandiam hoſtibus eripiundam, ad ſocios gravi jugo liberandos, ad finem bello imponendum: nunc, non viſo hoſte, turpi pacto everti conamina. Ali in ipſis patriæ viſceribus Flandrum; partem imperii, ut membrum à corpore avulſum, hoſtibus relinqui; & vindicare paratos, prohiberi. Quare non*

caſtra hoſtium, vel invito principe, invaderent: ſat virium, ſat roboris adeſſe. Illo abſente nuper fuſas à ſe Trajectinorum copias: & proavos, arreptis armis, nullius ſæpe ductu, hoſtili madentes ſanguine domum remeaſſe. Audaces fortunam ſequi, & potiorem videri, qui prior laceſſeret. Iam ſponte ruituros, ni obſtaret unicum impedimentum reverentia: quæ niſi retineret, in tanta multitudine ducem facile reperturos. Dein in Comitem verſi: *Gloriam ejus, ejus magnitudinem, ejus imperium, his artibus peti; quæ cum ſingula defendere in promtu, impediri ab eo, quē auctorem eſſe oportebat. Non aliam rebelles ipſi optare poſſe mentem: ut cum metuant, metuendi tamen videantur. Deſiderari vividum ipſius animum, alacritatem, ad diſcrimina ardorem. Lineamenta vultus, oris, eadem agnoſcere, non alia: niſi oculis adeſſet fides, facile de perſona dubitaturos.* Comes, cum nec caſtigare obſtinatos, nec mitigare iratos auderet: ſpem prœlii fecit, & *poſtera die invadendos hoſtes* pronuntiat: *conſulto ſparſos rumores, quia nihil aggredi decretum, non prætentato militum animo.* Tum ſinguli alacres per caſtra curſitare, exſecrari noctē, tanquam impedimentum victoriæ: laudare Comitem, prudentiam extollere, & ſimul ſe execrari, quod maledixiſſent. *Non militum eſſe, acta ducum interpretari, noviſſimo hoc comprobatum experimento. Solum illis obſequium relictum; quod promtiores facturi, quando conſilio, non impetu, cuncta exſequerentur.* Ita pacatos Comes dimittit: at noctu convocatos militum tribunos exauctorat, domumque ſuos reducere jubet. Quo intellecto, furere miles, & irarum non potens, maledictis inceſſere principem: inter quæ & tritum iter. Induciarum tempore cum Friſiis certatum Emmius prodidit, & deletam Veronam: quod falſum, jam ante à nobis comprobatum. Conſtat enim, his temporibus pacatos, & opem Hollandis adverſum Flandros tuliſſe. Comes Hagam reverſus, urgente ſenio, in morbum incidit, moleſtum magis, quam difficilem. Qua de cauſſa maturabat ſuos ad Hannonios iter. Hoc ubi exulibus compertum, hortati Namurcæum, *frangeret inducias, & tantam rei benè gerendæ non omitteret opportunitatem. Rurſum cum juvene pugnandum fore, parum cauto vitandis proditorum conſiliis:*

quos,

Digitized by Google

quos, ut apud Zelandos, ita & in Hollandia habiturum. Quibus quanto nunc fidat magis, tanto facilius everſum iri. Protinus Guido arripuit ſpem, & ſecutus conſilium, miſſo feciali, renuntiat pactis, cunctaque ad bellum adornare cœpit. At Comes mœſtus, fortunam ſuam habere in conſilio hoſtes querebatur,& vocatum ad ſe filium in hunc fere modum affatus eſt.*Statueram,fili,quod ætatis ſupereſſet,ſumma tranquillitate,ſummo otio tranſigere. Belli tumultu feſſus, quietem ſpectabam. Sed hoſtis,captata morbi occaſione,arma redintegrat,& conatur ſubditos tibi, ut natura patrem, eripere, inſatiabili imperii cupidine. Id animi mortalibus,quo plura habent, plura concupiſcere. Libido dominandi nunquam terminis continetur. Zelandiam, excepta Zirixea, univerſam tenent: nec modo Hollandiam, in quam nec jus prætendere valent; ſed ipſos etiam Friſios jam animo occuparunt. Armavere illos fortia adverſum Gallos facinora, & donata Guidoni Zelandia. Inſtigavere parati ad quævis facinora rebelles, perpetui metu exilij; quo nihil laribus adſueto gravius. Crede mihi, his ducibus, horum largitionibus, patuiſſe Flandris aditum. Eluctati demum ſervitute Gallorum, non tantum animi habuiſſent citra conſcientiæ innexorum fiduciam: non illorum modo, qui in caſtris ipſorum, ſed noſtris, militarunt. Hi ſunt, qui te victorem è Cadſandia revertentem, tanta exceperunt lætitia, quaſi non aliis æque jucunda accidiſſet. Abuſi ætate tua amicum adulando ſimularunt. Quos cavendos non admonebo,ipſum jam ſatis cladibus edoctum: quæ quanto crudiores, eo difficilius obliterabuntur: tum quia eodem adhuc cum hoſte pugnandum: quis, ni morbo attinerer,ipſe obviam armis conſilioque irem. Sed flacceſcentia membra non itineribus,nec moli paria, compellunt tuæ nunc curæ cuncta committere. Tempus enim poſtulat, ut quieti me ſeponam,& longius ab armorum ſonitu abſim,horrido nimis, jam alia ſpectanti. Iuvenilibus amata annis faſtidio,quia præcipiti curſu,unde nõ rediturus,vergo. Tuæ cum forẽ ætatis,etiam oblectamenta juvenum,bella delectabant:quæ ſi ipſe non haberem,quæſitum ibam,gloria ardentem & vividum exſtimulante ſpiritũ. Tædioſum videbatur,viris imperitantem non viros ſequi: & fortia malle potius audire facinora,quã adeſſe. Nuntiatus euntiũ ad certamen clamor ſtatim excitabat.Talẽ nunc te,fili,habere oportet animum,quo afflictæ,&,niſi egregius ſis, moribundæ,ſubvenias Reipub. Facile & validiſſimæ res ad interitũ trahuntur.*

 Sed

Sed tale Hollandorum in Flandros odium, ut votorum nunquam ſperem compotes futuros, abs te modo ubi ſegreges affinitate, & amicitia, exulibus familiares. Senſi nuper illorum, cum induciis prælium differrem, indignationem: quia taderet meo pro imperio, quando aliter poſſem, tantum fundi ſanguinis. Aſt tu, fili, utere animorum impetu, nec minus patrui Guidonis conſiliis: non quod tuis deſperem; ſed quia collatis ſententiis melius judicatur. Pluribus admonere non ſuſtineo, quia Flandros innumeris videor jam mihi videre advolare copiis; quis ut obviam eas, paratu opus, cui impedimento longiori nolim eſſe ſermone. Dixerat hæc, & ſtatim Zirixeam pervectus; unde poſt iterato inculcatam filio ſubditorum curam, ægre ab ipſo avulſus, ſuos ad Hannonios remeavit.

FINIS LIB. VI.

MAT-

Digitized by Google

MATTHÆI VOSSII

ANNALIUM HOLLANDIÆ, ZELANDIÆQVE,

LIBER SEPTIMUS.

ZIrixea poſtquam Hannoniam petierat ſenecta invalidus, minuſque idoneus gerendis rebus Comes; occiſo, ut memoratum, Ioanne natorum maximo, extinctoque Henrico filiorum ſecundo; publici cura Wilhelmo manſit. Is ſtatim, Patrum è conſilio, ne priores, elabentibus induciis, moverent hoſtes, & reſpublica detrimento mactaretur, auctorare in Hollandia militem ſatagebat. Sed deerant nummi, bello periculoſo & gravi exhauſto ad colligendos ærario. Qua de cauſſa, motus Patrum auctoritate, ſollicitare nobiles, plebem, *ſubvenirent laborantibus, nec ſocios incumbentes armis, pro eorum non minus, quam propria incolumitate, deſererent. Inducias jam jam finituras, nec eſſe ad manus quemquam, cujus fretus ſubſidio, obviam ire hoſtibus, & commune poſſet arcere incendium. Durum etiam, nullam habenti pecuniam, dignationem objectare periculis: eoque petere, tantum patriæ & ſociorum agerent cauſſa, arma propriis ſumerent ſumtibus. Perpetuo gloriæ fore, oſtendiſſe non lucri gratia, ſed pro aris & focis qualiacumque pericula non extimuiſſe. Iactare plurimos, patriæ amore, morti ſe vitamque exponere, damno familiæ; quamvis ſtipendiis non procedentibus, imperium non agnoſcerent. At illos, quorum majores, etiam ſponte, nullius ductu arma arripuiſſent, non putare ſe fore degeneres parentibus filios.*

Digitized by Google

filios. Decorum fore, exemplo tali cæteras ſuperaſſe gentes. Ipſum quod attineret, ut ante quibuſvis vitam periculis pro ſalute ipſorum expoſuiſſet, nunc etiam non detrectaturum cuncta ſubire. Cogitarent ſolam ſupereſſe Zirixeam; quæ hoſtem ab ipſorum hactenus depuliſſet cervicibus, & incendio proximos, ſi illorum cauſſa infra pretium armorum foret. Præceſſurum ſe, ea fiducia non defuturum militem. Dixerat, & Hollandi ilico adſenſere, non deſerendos eſſe ſocios, reverentia Principis; quamvis dilata ante arma, ægre adhuc cunctis foret. Medio Quadrageſimæ, cum jam exſpiraſſent induciæ, primi omnium ſe Zirixeani movent, & Blodenburgum caſtellum Flandris inſeſſum, expugnant, cunctis præſidiariorum ferro trucidatis: unde tantum animi, ut ſtatim ſignificarent Oſtervandio, *brevi poſſe debellari hoſtes, ſi tranſitum maturaret. Flandros adhuc imparatos, diſtractis copiis. Exules ſolum excubare, & potiſſimum metuendos. Sed non memorabile facinus auſuros, abſente ſummo militum præfecto, Guidone Namurcæo.* Wilhelmo quamvis certum, fruſtra ex unius caſtelli ruina, de ſumma rerum judicari, ne tamen animo deficerent, & ſolos objicere periculo diceretur: Scia amne devectus, eodem die, proſpero vento, Zirixeam pervenit. Pauci omnino erant, qui comitarentur: necdum enim ſubſidia Trajectinorum, Friſiorum, aut Kenemariorum, advenerant, quos Guido Antiſtes ad arma vocabat, uno ad cuncta impare. Nihilo tamen ſegnius inſtructa acie Oertzeam petiit, ubi magnam Flandrorum multitudinem conſidere nuntiabatur. Sed illi, egredi munitionibus non auſi, tam diu hoſtes cunctando fatigavere, donec nulla memorabili re acta, domum reverti adigerentur. Qua tempeſtate legati à Comite miſſi Zirixeam venerant; qui ad Wilhelmum introducti, ex mandato, ipſum, Wittonem Hamſtedam nothum Florentii Comitis, & Nicolaum Puttenum, equeſtri ornarunt dignitate. Oſtervandius è continenti alios adlegit, præclarè hoc bello de patria meritos. Stokius refert, octavum & quadrageſimum obveniſſe Vornano dignitatis locum: unde plures fuiſſe quis colligat,

aut

Digitized by Google

aut hunc ultimũ,cum alii in univerſum tot creatos ferant. Interea Guidonis Trajectinorum antiſtitis miles, Friſiorum & Kenemariorum venere ſubſidia, ingens copiarum ſupplementum: ſtatimque junctis viribus in hoſtes ivere, & Bridorpiam caſtellum, quod haud longe Zirixea abſitum Flandri inſidebant, ſummis viribus aggreſſi; præmiſſo caduceatore, qui ultima denuntiaret, niſi maturrime deditio ſequeretur. Illi quatuor dierum inducias pacti, tradituros ſe munimentum Oſtervandio, ni intra præſtitutam diem auxilia mitterentur, promiſerunt. Revertitur plenus fiducia Zirixeam Wilhelmus, nullo in caſtris milite relicto: unde Bridorpiani eo liberati metu, aucto è vicinis locis præſidio, conatum eluſere. Interea Oſtervandius, crebro hoſtium trajectu impediendo, coadunatis undique navibus, maria fluminaque ſimul obſidebat: electa ſibi, cum Guidone avunculo, & potiſſima exercitus parte, ad Duvelandiæ littus ſtatione, commodiſſimo ad Zirixeanos defendundos loco. Inſulam tunc illam magna manu militum Reneſſius, aliique exulum tenebant. Id compertum Oſtervandio; eoque prohibitum quemquam hoſtile in littus egredi, incolaſve laceſſere, ne damni ulciſcendi prætextu, hoſtibus juncti, eorum augerent vires. At militum unus, dicto parum audiens (Friſium fuiſſe ferunt) ut inſulanorum aliquem conſpexit, repente ſpe prædæ inflammatus, navi egreſſus, illum fugientem inſequitur: alii etiam, rupto jam ſemel ſacramento, proſiliunt. Tum vero, ſuorum freti numero, vaſtare cuncta, diripere inſulanorum bona, incendere ædes, nihilque adeo relinquere intactum. Ad noctem uſque manſit furor: quando exules, ex adſcendenti igne tranſitu hoſtium percepto, conflatis in unum ſuis, juncti iratis ob cladem Duvelandis, vagos & ſine ullo ordine incedentes, ex improviſo aggrediuntur. Quo illi malo perculſi, metum intendentibus tenebris, non armorum, non prædæ amplius memores, fugam capeſſunt. Agebantur pecudum inſtar à paucis multi, tanta trepidatione, ut neque ad naves

Digitized by Google

fugam ſuorum ſiſtere Wilhelmus valeret. Is enim, diſſono clamore excitus, repente in terram cum patruo Guidone, ſtragem ſuorum averſurus, deſcenderat. Sed metus enervarat Martem; nec ducis ad neces impediendas auctoritas, aut animus ſufficiebat. Vnde major, quam juſti certaminis, clades. Multi occiſi; nec pauciores, dum confertim ad naves tranare conantur, ſubmerſi; in univerſum tria millia tam aquis, quam ferro, neci data. Hos inter eminebant Eccleſiæ Trajectinæ præpoſitus Wilhelmus Hornanus, Nicolaus Perſinius, Theodericus Harlemenſis, Theodericus Zulanus, & Zuederus Beverwartus. Oſtervandius fuga evaſit. Antiſtes Guido in manus hoſtium fortiter pugnans delapſus. Hanc XIII. kal. Aprilis acceptam cladem Friſiis, Hollandi referunt. Illos cupiditate prædæ primo contra mandatum laceſſiſſe hoſtes: contra alii illorum virtute majorem cladem averſam tradunt. Vtcumque ſe res habeat, illud hoc certamine compertum, paucorum ſæpe auſus maximæ eſſe ſtragis cauſſas: nec facile militem imperium admittere, quem voluntas, non ſtipendium armavit. Quippe Wilhelmus (quem falſo, profugum, ad parentem in Hannoniam veniſſe, multi tradunt) Zirixeam reverſus, & cunctos exautorans, quo militum tentaret animos, tantum terroris clade hac incuſſum reperit, ut paucis exceptis, ipſo omiſſo, omnes domum remearent. Soli tum Zirixeani fidem probavere, felicitate fortiores. Vbi infelicis & infauſtæ expeditionis reliquiæ Hollandiam tenuere, miſerandum ſpectaculum omnes, privatum multos damnum commovebat. Parentes alii, aliæ maritos, plures filios, fratres, conſanguineoſque deplorabant. Reperti tamen, quîs major Reipublicæ, quam ſuorum cura, illam tanquam jam jam perituram deplorantes. *Deum, exſtincta veterum Comitum ſtirpe, Hollandis adverſum. Proſpera feliciaq; antè arma; nunc infelicia; & quantoſcumque conatus non ſuccedere. Quid profectum tanto exercitu, quam ut ruina prorogaretur? Victorem jam ſe videre inſtantem exercitum, & iratum, ni juſſis pareatur: quibus, cum integri*

tegri impares fuiſſent; quid exſpectandum tyrone ſub milite, cæſo aut capto exercitus robore? Hic ſtatus animorum apud Hollandos erat, cum exules Guidonem, oblato prius captivo Antiſtite, de victoria, & hoſtium trepidatione certiorem fecerunt. Is maturandum ratus, priuſquam ſe colligerent, aut cum Gallo induciæ, jam finem ſpectantes, exſpirarent, magna equitum peditumque manu in inſulam Schouwanam trajecit, ſperans, primo ſe adventu oppreſſurum Zirixeanos. Sed fides illis, & virtus manſit. Pauci in obſidione dies triti, adhortantibus ad Hollandicam expeditionem exulibus: qui, per notos talium artium, interea terrorem, per univerſam ditionem, adventus Flandrorum circumferebant. Ipſe Guido, præmiſſo caduceatore, pacem Hollandis, ſi reciperent; minas, ſi advenjunti reſiſterent, oſtentabat. Ceſſere ſtatim in manus metu Septentrionales Hollandi (quo nomine omnes inter Moſam, atque Kenemariorum fines interjecti, appellabantur) & adveniunti hoſti obviam effuſi, victorem gratulabundi exceperunt. Aperuere ipſi portas Leida, Delphi, & aliæ civitates. Harlemum petebatur; ſed fida manſit, & poſtmodo maximum momentum partibus attulit. Cæteræ Namurcæum, dicto juramento, & datis obſidibus, Comitem ſalutarunt. Non tamen omnium idem animus erat. Nam multi, odio Flandrorum, ſervituti exilium præferentes, Harlemum, aut Dordrechtum, contendebant, intenti quemnam eventum tandem hæc animorum inclinatio habitura foret. Necdum ſatis hoſtium Hollandis erat: acceſſit Dux Brabantiæ Ioannes; qui prætenſo in Zuithollandos, neſcio quo jure, majorum ſuorum dominio (credo, ne & illâ virium acceſſione formidandum jam Flandrorum imperium augeretur) militem Waelwici contrahebat, commodiſſimo ad Meridionales Hollandos invadendos loco. Sed illi inter adverſa animo infracti, arma parant, certi mortem alieno imperio antecapere. Primo omnium Gertrudisbergenſes, juncti vicinis agreſtium, Brabanto apertis ſe campis, ad diſcrimen parati, oſtende-

 runt:

Digitized by Google

runt; parva quidem manu, ſed virtute hoſtibus pari. Id Brabanto præter ſpem; qui, exemplo Septentrionalium, ilico recepturos imperium putarat. Hac ſpe lapſus, convocatis exulibus, quorum pars, qui in Brabantia ſe attinuerant, ipſi militabat, hortatur, ut circumductis copiis, per nota ipſis diverticula, formidinem à tergo hoſtibus oſtenderent: adeo metuenda iis temporibus Hollandorum fortitudine, ut nunquam præſidii ſatis in virtute hoſtes cogitarent. Ad deſtinatum ubi conjurati locum venere, ipſi ſignum Brabantis, Dux ſuis aggrediundi dedit. Magna Hollandi alacritate, inſidiarum ignari, exceperunt adventantes; conſertiſque manibus, non immemores priſtinæ virtutis, majora quam pro numero audebant. At ubi ex improviſo aſſiluere exules, & pugnari ſimul, cædique ſuos cognoverunt; clades ante oculos fuit. Conſiſtunt illi tamen; ſed obruti tandem multitudine, & cæſi ad unum omnes, non incruenta hoſtibus victoria relicta: quorum multi interemti, plures vulnerati. Ita Hollandi vincere ſueti, ſuorum plerumq; manibus concidebant. Secutus fortunam Brabantus Gertrudisbergam eodem die oppugnat,& occupat. Vnde metus per univerſam Meridionalem Hollandiam, quæ tota, excepto Merwedano caſtello,& principe civitate Dordrechto, miſſis obſidibus,& dicto juramento, Brabantiæ Ducem dominum recepit. At Dordrechtani quanto major belli moles imminebat, & pericula intenſiora; tanto ardentius ad reſiſtendum arma, aliaque longæ obſidioni neceſſaria comportabant, certi ultima tentare,& nullas potius pacis admittere conditiones, quã alieni principis jugũ ſubire. Promtus ad obſequia miles Nicolao Putteno regundus datur. Tormẽta in mœnibus, claſſis in ſtatione poſita. Vigiles ubique,& acceſſus armatis onerati, ne ex improviſo opprimerentur. Interea Guido Namurcæus cũ Brabanto de imperio contendebat, iratus præmia, ut rebatur, laborũ, invaſiſſe æmulum Ducem, quem Wodrichemi acceſſerat. Parum abfuit, quin infenſi diſcederent: inventa tamẽ moderationis

eſt via:

Digitized by Google

eſt via: non enim conſultum videbatur,eundem hoſtem petentes inter ſe diſſidere. Conventum itaque, Meridionalis Hollandia Duci, cætera Flandro cederent; excepto Dordrechto, quod utriuſque foret. Sic partito, quod necdum poſſidebant, imperio, eadem utriuſque cura fuit: trajectoque Merweda, caſtellum ejuſdem nominis aggreſſi; at magna clade affecti, deſerere adacti fuere. Verſæ exin ad urbis obſidium cogitationes: ſed fruſtra decem diebus abſumtis, Brabantus Waelwicum conceſſit: non modica ante clade Iſelmondæ, captis merſiſque aliquot navibus, accepta. Dum hæc geruntur, novus repente hoſtis, & novus metus. Quippe toparcha Ledanus, Hollandis Comitibus feudo devinctus, in ſociorum calamitate ſuam rem agens, Orientalem Hollandiam inrupit, & longe lateque actis prædis, incenſis pagis, hominibus pecoribuſque abactis, magnam edidit vaſtitatem: tantopere ſpreta tum Hollandorum virtute, propter adverſa, ut potentes juxta & invalidi cuncta auderent. Interea Guido Ducem ſecutus, caſtris Alblaſſerdamo ſublatis, (ibi etenim conſederat urgendis Dordrechtanis) Trajectum petiit; ubi, poſt Antiſtitis captivitatem, ingens incendium exarſerat. Erant in urbe factiones duæ, haud multo ante, magno Antiſtitis labore, in gratiam reductæ. Novo adhæc juramento fidem poſt Epiſcopi firmarant captivitatem. Non tamen diu religioni inter infenſos locus fuit. Quippe Lambertus Friſius, partis unius caput, adjuvantibus Hermanno Teutelarto, Luberto ejus filio, Magno Giſberto, Machelmo ejus fratre, Wilhelmo Amelrato, cum fratre Hugone, Gerardo Venio, Wilhelmo Cockarto, Ioanne Bolarto, Gerardo Merano, Henrico Loeffio, Coppino Nielkeno, Hermanno Teutelaro, Chriſtiano Ioelo, & Hermanno Veldenio, opprimundæ Reipublicæ ob adverſantes conſilia agitabat. Primum facinus, Nicolai Vrukeni, alterius factionis non poſtremi, cædes; quem proprias ante ædes trucidaverunt. Nec ſtetit hic violentia, ſed alios adgreſſi, aut occiderunt, aut vinculis Vriſenburgi

Digitized by Google

addixerunt: ubi Iacobus Lichtenburgius, quicum maxima ſimultas, cum Wernerio neci datus. Wilhelmus etiam Rodenburgius cum filio in carcere detentus. Talis rerum ſtatus erat, cum Namurcæus, non citra ignominiam, ſoluto Dordrechti obſidio, Trajectum properaret, evocatus haud dubio à prævalentibus. Nec obſtitit quiſquam, quin dicto juramento, Gubernatorem agnoſcerent: ſolis fidem Epiſcopo ſervantibus Zuedero Montfortii, Huberto Vianæ, Zulani, atque Beſinchemi toparchis. Prætori etiam, quia fidus, alter ſurrogatur. Ita urbs potens, nullo pene negotio, hoſtium facta. Abdicandum Antiſtitem Hannoniū, Guido cenſebat; ſubſtituendumq; fratrem ſuum Wilhelmum Iuliacenſem, armis quidem innutritum, at parum religioſum. Quod cum poſſe difficulter fieri, vivente adhuc electo antè Epiſcopo, conjurati autumarent; pollicitus, ſi conſentirent, è medio ſe ſimul illum cum omni difficultate ſublaturum. Nec illi, conſcientia patrati facinoris urgente, obſtabant. Eo die peſſimū machinati fuiſſent ſcelus, ni Witto Hamſtedus aliò vertere curas compuliſſet. Miſerat illum Zirixea Oſtervandius, firmandis in Hollandia partibus: quippe inaudierat, Harlemenſes inter & Flandros, de pacis agi conditionibus, illoſque reſtare ſolos, cum urbe Dordrechto, & Friſiis, qui jugum reſpuiſſent. Aſt Witto, ubi unica Santfurtū navi appulit, certiores adventus ſui facere Harlemenſes, & ſimul rogare, hoſtibus, an Comiti, foret in animo fidem jurare. Reſponſum ilico, nullum alium, quam proprium ſe agnoſcere dominum: ſtatimque omnis multitudo obviam effuſa, ſalutare Wittonem, gratulari adventum, tantiſque afficere honoribus, quam Comitum feciſſet ulli. Tum Witto rogare: *quænam mollities animi tam ſubito fortia Hollandorum pectora occupaſſet, ut nulla affecti clade, vix viſo hoſte, jugum induerent. Hactenus in Zelandia pugnatum unius urbis audacia: paucis diebus potentiſſimas civitates metu, non vi traditas: etiam advenienti oblatas hoſti claves. Cogitarent Leida, Delphi, Gouda, Schonhovia, ceteraque urbes, quot machinas mœnibus admotas, quot tormentis domus muroſque*

quaſſatos,

quaſſatos, quot denique corpora civium trucidatorum vidiſſent: haud dubio facinoris turpitudinem omnem veri fatendi animum illis ademturam. Veniſſe Guidonem, & viciſſe: adeſſe ſe, & fugaturum hoſtem, niſi, præter opinionem, illorum deſtitueret virtus. Crudam adhuc ſervitutem, ut facile receptam, facile libertatis amore poſſe depelli. Proin non armis modo, ſed conſilio etiam opus: exercitu, & artibus, fugandos hoſtes: & priuſquam adventum cognoſcerent, obterendos. Parare ſine multo ſanguine victoriam, non niſi ipſis hoſtibus poſſe diſplicere. Id factu haud operoſum, quia non manipulatim, ſed latronum more negligentius percurſarent agrum. Populatores levi negotio opprimi vagos. Paucorum prædam futuros, ſi ad audendum aliquod facinus paratos reperiret. Sperare interim, ſe non fruſtra veniſſe, & opem imploraſſe. Hæc cum dixiſſet, magno populi applauſu Harlemum eſt perductus: exactiſque Guidonis Namurcæi delegatis, conſilia hoſtium turbavit, & cuncti pene civium, amore Comitis, militiæ nomen dedere. In curiam ubi ventum, laudato prius animorum impetu, conſilium aperit. Placuit omnibus opinio, mittundas ad ſingulas eſſe civitates literas, quîs defectus ſollicitaretur; & interea, ut nullæ omitterentur opportunitates, evocandos Friſios; ne ſi deficerent à Flandris, ſubſidia deeſſent ad firmandos illarum animos. Tabulæ, quæ ad urbes miſſæ, hujuſcemodi erant argumenti: *ut prima occaſione libertatem adſererent, ac facilem deditionem nova delerent virtute. De ſucceſſu non eſſe deſperandum. Audaces fortunam ſequi: nihilque adeo arduum, quod per virtutem non poſſent adipiſci. Habere ſe in procinctu jam parem hoſtibus manum, qua laborantibus ſuccurrere, & urgente neceſſitate prælium auderet.* Has ubi eodem pene tempore cunctæ accepiſſent civitates, latoribus alias occulte ad Wittonem perferendas tradiderunt, quîs ſe jugum, obſtante quamvis juramento, excuſſuros pollicerentur. Interea Dordrechtani, ductu Nicolai Putteni, urbe egreſſi, Waelwicum caſtra movent, ubi Brabantiæ Dux Ioannes conſidebat. Arduum videbatur munimentis expellere: ſed virtus, & odium, acuit virtutem: eoque adgreſſi, caſtris ſimul, & tota Zuit-

Hollandia

Digitized by Google

Hollandia exuerunt. Cæſorum numerus non refertur: magnitudinem cladis ſatis arguit, nihil ab eo hoſte poſtea tentatum. Waelwica expugnata, & in cineres redacta: etiam Sylva-Ducis, (ut recentiores memorant annalium ſcriptores) incenſa, magnaque Brabantiæ pars ferro ignique vaſtata. Reſtabat ſola Gertrudisberga, à Brabantis præſidio firmata: ſed illa, ceſſit audita ſuorum clade. Hujuſcemodi fuit Brabanto adverſum infelices ſatis expeditio. At Guido, percepta ſociorum fuga, contractis undique militibus, Gertrudisbergam inter & Dordrechtum caſtra locat, debellaturus hoſtes, priuſquam ſe in urbem reciperent. Dordrechtani, ut interceptum iter cognovere, quod terruiſſet alios, alacriores eò redditi: motiſque protinus copiis, aciei poteſtatem Guidoni fecere. Nec ille cunctabatur, ferox tot victoriis, & plenus fiducia virium. Pugnatum inter infenſos diu, neutris pedem referentibus: Dordrechtanis novam de Brabantis victoriam, hoſtibus vetera decora reputantibus: unde utrimque ſtimuli. Tandem tamen urgentibus Hollandis, referre pedem Flandri, primamque hanc poſt multas victoriam conceſſerunt. Vix ipſe Guido ſalvus fuga Trajectum pervenit. Capti complures, militum millia duo neci data. Illo prœlio attritæ Flandrorum in Hollandia res: reſtitutaque cæteris civitatibus priſtina virtus, & conjuratum in perniciem Flandrorum. Primi omnium occepere Delphenſes: cæterum occulte. Majus auſi Leidenſes facinus, qui media nocte clam urbe egreſſi, Goudam, ubi obſides civitatum attinebantur, & valido ob id præſidio munitam, ſub diluculum ſcalis admotis invaſere. Tum clamore ſublato, qualem victores edere ſolent, percurrunt urbem, cunctaque timore complent. Excitati inſolito tumultu præſidiarii: pars arma, alii latibula meditabantur, animoſiores ſeminudi occurrunt. Sed his facile cæſis, patefacta ad carcerem via; & perruptis repagulis, liberati obſides. At ne paucitas ſuorum, exoriente jam die, detegeretur;

geretur, rurſum ſe urbe ejecerunt, memores tantum propter obſides expeditionem periculoſam adeo ſuſceptam. Ita illi incolumes venere domum, & ad majora audenda cæteris civitatibus ſtravere viam. Ferunt Annalium ſcriptores nonnulli, tantum facinus non abſque Delphenſium ope patratum: ego in ſilentio Stokij nihil affirmem. Vtcumque ſit, non tamen & illi ceſſaverunt delere ignominiam: nam Ockenbergio duce, præſidiarios aggreſſi, aut expulerunt, aut trucidavere. Eadem apud Schiedamenſes rerum facies: ubi ne mulieres quidem inlaudatæ; quæ complexæ armatos, partim mergendo aquis, partim trucidando, vita privarunt. Apud Schonhovienſes proditor Catzius, quondam illorum toparcha, & adventu Flandrorum in Hollandia vinculis liberatus, novas pro Guidone res moliens, caſtello urbi adſito digreſſus, præter ſpem ſtatim à civibus interceptus fuit, & rurſum carceri addictus. Pulſis Flandris perfugium in caſtellum fuit: & facile admiſſi, quia parenti cognominis filius præſideret. Verum inſecuti ſtatim cives, illos Catziumque vallo circumvenere. Interea dum ibi certatur, & cuncta madent Flandrorum ſanguine, Witto Hamſtedus Harlemo copias ducens, fretus Friſiorum Kenemariorumque armis, obviam habuit non exigua manu inſtructum Flandriæ præſidem. Collatis ſignis, atrox orta eſt pugna: ſed vicit tandem melior cauſſa. Fuſi fugatique Flandri, & præcipuo ſuorum robore amiſſo, occaſionem dedere, ut locus cadaverum in unum congeſtorum, *Virorum Semita* ex eo tempore nominaretur. Quod ſignum, non incruentam reliquiſſe victoriam. Victor Witto Leidam maximis itineribus movit: ſed in procinctu novus hoſtis neceſſitatem prœlii impoſuit. At non illa manus erat tutando Guidonis imperio. Statim pulſi Delphos fuga petunt, & civitatem jugo demum liberatam, præter opinionem ſubito occupant. Inſtitit veſtigiis Witto, & Ockenbergii opera urbem inrumpit. Media in civitate certatum ferunt, quingentiſque admodum Flandrorum interemtis, reli-

Digitized by Google

quos, dum urbis foſſam tranare conarentur, ſubmerſos, paucos incolumes evaſiſſe. Platea, ubi in urbe Wittoni Flandri occurriſſe dicuntur, nomen in memoriam eorum adhuc tenet. Sed his de rebus plura apud recentiores, pauca apud veteres reperias. Pulſi jam tota pene Hollandia Flandri erant; ſolaque, excepto Schonhoviano caſtello, à civibus obſeſſo, reſtabat Gouda, maximo firmata præſidio; quia, opportuno loco ſita, potiſſimum viſum fuerat munimentum continendis in officio cæteris. Sed conſcius Witto hanc quoque oblata occaſione viribus acceſſuram, caſtellum Schonhovianum obſidentes adit; quod indies magis magiſque premebatur. Interea Guido Namurcæus, de ſalute, qui cum Brabanto jam diviſerat imperium, nunc anxius, collatis cum Reneſſio conſiliis, Trajecto Goudam, inde per Iſalam ſecundo fluminis curſu, ad Zelandos pervenit, inſtauraturus vires, quîs tertio ordiretur Zirixeanæ urbis obſidium. At Flandri, qui hactenus Schouwanam inſederant inſulam, cognita ejus fuga, eandem ubique fortunam rati, vaſis conclamatis, caſtella, quæ occupaverant, deſerunt, incenduntque. Oſtervandius, necdũ certior omnium eorũ, quæ in Hollandia gererentur, occaſione uſus, convocatis militibus, viſurus quid hoc ſibi incendiũ vellet, caſtra movet. Bordendamum, medio milliari Zirixea diſſitum, ſolaque propinquitate civibus iniquum, pervenerat, cum vidit ab hoſtibus deſertum, flammiſque traditum. Boducci proditoris hæc toparchia erat: eo facilius inducti milites non exſtinguere ignem, ſed faces aggerere potius, aridamque injicere materiem, quo funditus everteretur. Iubebat & ratio belli, ne iterum revertunti è Flandria Guidoni, pro munimento foret. Hæc gerenti Oſtervandio, attulere nuntii, variis ſubactos prœliis Flandros, totaque (nam & Guidonis fuga præſidium Gouda ceſſerat) ejectos Hollandia; nihil denique ſupereſſe laboris, quam Trajecti, quod Reneſſius magna militum manu teneret, & caſtelli à Schonhovianis obſeſſi recuperationem. Sed & hoc operibus

ribus

Digitized by Google

ribus circumventum, urgere Wittonem. Tum Oſtervandius, convocatis ſenioribus, ad eos hunc fere in modum locutus: *Fortiſſimi viri, è quorum lacertis totius patriæ pendet ſalus, quique propemodum ſoli univerſis Flandrorum viribus non ceſſiſtis, ne putetis huc vos, quamvis deſero, ut desererem, convocatos. Eſt in procinctu urgens neceſsitas, novus hoſtium furor. Eo gravior, quia ex clade accepta vindictam majorem ſpirant. Nunquam læſus melior fit, acuitur per dedecus rabies: & quanto magis irati incedunt, tanto magis optant & volunt abſtergere nobili exemplo ignominiam. At veſtra virtus, quæ pro comperta habetur, contundet facile ſola militum multitudine feroces. Placeant ſibi Flandri vanis nominibus: veſtra illa laus, quantumcunque furentem, eluſiſſe non modo, ſed etiam à cervicibus depuliſſe. Videtur ſic omnipotenti Deo placuiſſe, vos tanquam rupem conſtituere ad inſanientem Flandrorum rabiem frangendam: videtur etiam illis permiſiſſe aditum, veſtra ut noteſceret virtus: quam utique nunc probaturos vos, ille deſperet, qui ignorat. Teſtes ſunt oculi mei, nullo forſan ſæculo, tantilla manu, à tanto hoſte, imperium mihi, libertatem civibus ſtabilitam. Securus jam ſum, quia ſecurum vos redditis. Eo fidentius linquo hanc civitatem, par quia ſola videatur univerſis hoſtium viribus: modo non deſerat animus, quod qui fieri poſsit, non video. Spirant adhuc manus veſtræ vindictam parentum, cognatorumque: ut hoſtem fuiſſe Flandrum, nulla ſit obliteratura memoria. Inſideat vobis ſemper ille animus: incolumitatem veſtram meamque defendite; avertite mœnibus hoſtem, ſalutem cunctorum porro defendite, ut Flandri poſt Gallicum excuſſum jugum uſque adeo arrogantes, ſentiant, Zirixeanos jam tertio à ſe obſeſſos, non armis, non virtute cedere: ſed ſolos ad omnes conatus eorum eludendos pares. Petam ego nunc Hollandos, convocaturus militem, oppugnaturus oppugnantes. Non quod veſtræ ego diffidam virtuti; ſed ut facilius imminens periculum avertatur, minoreque ſanguine pariatur vobis victoria: veſtra enim erit, quia fortiter pugnando veſtram feciſtis: ſi etenim vos non pugnaſſetis, vix ego amplius pugnare potuiſſem.* Hæc dixerat, cum, Baldewino Ierſdicano tradita urbis præfectura, addito conſiliorum ſocio Ioanne Cruningo, Zirixea ſolvens, media fere nocte Dordrechtum

tum pervenit; ubi tanto omnium favore exceptus, quam umquam Comitum ullus. Certatim occurrere cuncti, operam offerre, & nulla detrectare onera. Ipſe etiam mox advolat Witto, una trahens captivum Catzii toparcham Nicolaum. Quo Dordrechti vinculis mancipato, Wilhelmus cum Wittone in caſtra, quæ ante Schonhovianum caſtellum habebat, contendit: nihil non moliturus, quo deditionem extorqueret. Sed fruſtra adverſus obfirmatum Catzij filium, qui præſidebat, omnes conatus erant. Alio igitur modo aggredi obſtinatum placuit. Reducitur Dordrechto Nicolaus Catzius: ſummoque in tabulato ligneæ turris conſtituitur,& poſt hunc militum alii; ipſo pro lorica, quando turris admoveretur, uſuri. Id viſum filio: qui pietate motus, & ne paricida audiret, ſe & caſtellum in manus Oſtervandii tradidit, nullas pactus conditiones. Cuncti vinculis addicti; libertatem recepturi, quando Guido Antiſtes, cæterique in Duvelandia capti, dimitterentur. Adſidebat adhuc Schonhoviano caſtello Wilhelmus; cum Reinerii Genuenſis, mari à Rege Gallorum præfecti, cujus tum inclytum erat nomen, literæ, triremi ad perferendas demandata, venerunt: quîs ſtatim Wilhelmus reſpondit, & quo in ſtatu Hollandorum res forent (id enim perſcribi expoſtularat) aperuit. Vix illas Reinerius acceperat, cum ſublatis anchoris, proſpero uſus vento, advolaret, & cum Oſtervandio congrederetur. Acta tum inter eos, quæ exitus belli demonſtrabit. Interea Guido Namurcæus acriter urgebat Zirixeanæ urbis obſidium, & portum, quem neceſſariis advehundis commodum habebant, obſtruere aggreſſus. Moles brevi temporis ſpatio militum alacritate jacta: quippe inter duplicem adactorum fundo palorum ordinem, ſtramine lapidibuſque præcipitatis, mox terra ſuperingeſta, ſtatim exaggerarunt. Exin ſumptæ ſtationes, & tormenta ſuis locis diſpoſita. Machinæ adhæc tres inuſitatæ magnitudinis erectæ, quarum præcipua lapides trecentûm pondo jacularetur. Harum

una

Digitized by Google

una conjuratorum, qui ad Meridiem oppidi conſidebant, cæteræ Flandrorum erant. Per paucos dies, quibus hoſtis operibus intentus, muniendiſque caſtris erat, obſidium magis, quam oppugnatio. Nec ſegnius Zirixeani agebant: qui poſt bis fortiter toleratum obſidium, parem ſperabant eventum. Hinc alacritas noſtris, ſæpiuſque erumpendo hoſtium impediebant opera: & raro non cruenti domum revertebantur. Dum hæc geruntur, Wilhelmus, ut cum Reinerio convenerat, convocare Hollandos, cunctaque tantæ expeditioni neceſſaria comportare. Schiedami convenere omnes, nobiles juxta ac plebei, deficientibus quamvis ſtipendiis: ſed ditiorum illa cura fuit, providere, ne deeſſe videretur. Cæterum Guido, quanto major hoſtium paratus, tanto magis feſtinare urgendo obſeſſos. Quatere tormentis mœnia, & continuis ictibus domos templaque verberare. Sed emiſſos lapides rurſum retorquebant Zirixeani, proprio Flandros telo petentes. Refert Stokius, miſſum è majore machina ſaxum, tegumentum templi evertiſſe: hoc vero adeo ægrè latum ab urbano tormenti præfecto, ut in hæc verba, juſſo ad ſe deferri lapide, erumperet: indignum ſe munere ſuo, ſi non eodem ſaxo hoſtilem, unde excuſſus foret, everteret machinam. Nec vana jactaſſe; diſruptam everſamque, & adſtantem præfectum graviter læſum. Quod addere placuit, ne ignaros quis talium artium Hollandos Zelandoſve fuiſſe credat. Dum ita cominus ad Zirixeam pugnatur, jam elapſus à Reinerio conſtitutus dies, nec ulla adventus ſpes erat: quod ſollicitum reddebat Oſtervandium. Tandem tamen ſupervenit triremium una, quæ in itinere cæteras cum præfecto nuntiaret. Exſpectare igitur Comes, & animare ſuos; qui impatientes nihil niſi prœlium exoptabant. Tertia jam hebdomas ex illo die agebatur, & necdum aliquid de Reinerio conſtabat; qui moram nectendo eludebat Oſtervandium. Quare anxius, ne interim fida civitas in hoſtium incideret manus, ſolis Hollandorum viribus audendum

aliquid putavit. Noluit tamen, propter vulgi judicia, & parentis iram, ſi ſuccumberet. Interea dum tempus conſultando, crebriſque ad Reinerium mittundis litteris teritur, dies noctesque Zirixeam oppugnare Namurcæus, ſemperque rumpendo quietem fatigare obſeſſos, quo feſſum vulneribuſque ſaucium militem ad deditionem compelleret. Sed illos non jugulo imminens gladius virtutis priſtinæ immemores reddidit; ut qui lubentes pro ſua ſuorumque ſalute nullis non caput periculis objectarent. Meridies erat, & civium cuncti, militum multi, ad cibum contenderant capiendum; cum Guido, paucis omnino conſpectis in vallo præſidiariis, ſumma vi adoriri oppidum juberet. Magna celeritate foſſa ſtramine leguminibuſque oppleta, murum ſubeunt, ſcaliſque admotis, multis ſimul locis aggrediuntur. Præſidiarij nihil omittere turbandis hoſtibus, confringere ſaxis ſcalas, & adſcendentes. Oritur in civitate tumultus, campanarumque pulſu omnes ad arma vocantur. Non alias majore ardore, deſertis menſis, in hoſtes itum. Tum primum atrox certamen fuit, utriſque pro gloria certantibus. Guido Namurcæus omnibus locis hortator aderat, caſtigare ſegnes, laudare ad quævis pericula promtos, & nunc præmiorum, nunc prædæ admonere. Concutere interim continuis ictibus mœnia, diverſiſque locis incendium immittere. At depellendi coercendique ignis cura feminis commiſſa: quarum aliæ aquam ad incendium exſtinguendum, aliæ erutos è plateis lapides, tanquam arma, viris apportabant; nonnullæ, quibus animus major, in ſubeuntes ſaxa ipſæ devolvebant. Adeo commune periculum viris feminiſque arma miniſtrabat. Guido Namurcæus, ubi alias poſt alias comminui ſcalas, cunctaque in oppido ordine agi vidit, tandem receptui cecinit, abjecta omni ſpe urbis potiundæ. Tum major ſtrages, quam in oppugnatione, facta: non enim per patentia reduci in caſtra miles poterat, quin illorum terga noſtrorum paterent ſagittis. Multi vulnerati, multi occiſi; quorum
tamen

Digitized by Google

tamen numerus iniri non potuit, dum mortuorum cadavera juſſu Guidonis, una à fugitivis traherentur. Hic finis graviſſimæ oppugnationis, quæ multum auxit gloriam Zirixeanorum. Indies tamen magis magiſque res ad incitas redigebantur, præſidiariorum plurimis aut occiſis, aut vulneratis. Deficere etiam incipiebat frumentum, multique tabe correpti vix arma ſuſtinebant. Id impulit ad Oſtervandium mittere literas, inſtantis quæ redderent periculi certiorem, opemque poſtularent. Delectus ad has perferendas impiger miles; qui per hoſtium ſtationes noctu ad flumen progreſſus, navi adſcenſa, recta Schiedamum pertulit. Oſtervandius, percepto illorum periculo, collaudata apud militem eorum virtute, reſcribit Zirixeanis, ad paucum adhuc tempus vim ſuſtinerent hoſtilem; dolens interea, iratuſque, quod necdum adeſſet Reinerius. Quæ dum geruntur, Guidonem Namurcæum cupido inceſſit tentandæ iterum ad Zirixeam fortunæ, & pontes quinque, exſtructamque ligneam turrim, cujus tabulatum altitudine mœnia ſuperaret, rotis ſubſtratis, quo facilius vallo adigerentur, urbi admovit. Tum ſumma vi rurſum undique coorti, murum ſubruere, ſcandere vallum conantur. Tollitur ad cœlum clamor, & volant utrimque aut tormentis, aut manu emiſſa tela. Alii alios hortari, præire pugnando, & avidius hoſtem ferire, quam ſuum protegere corpus. Incommodabat maxime obſeſſis lignea turris, cum impune ex alto in præſidiarios tela torquerent: ſtudebant enim ea parte murum defenſoribus nudare. Cæterum obſtinatus illis ad mortem uſque animus manſit, & quanto magis pericula intendebantur, ardentius reſiſtebant. Interea nihil non hoſtes moliri, ſubmittere feſſis integros, & quinque ſimul locis aggredi civitatem. Sed illi, quibus vetera fortiter geſta ante oculos, ſaxa, lapides, tela in ſubeuntes ingerunt, donec aliquot ſcalis comminutis, illiſque qui ſuperſtiterant miſerè afflictis, reliquos languidius inſtare adigerent. Tum Guido animare ſuos,

ſuos, fortiter agerent: hoc enim die, aut nunquam illos oppido potituros. Prœlium renovatur, iterumque conſertæ manus, quas nox diremit, reductuſque à Guidone in caſtra miles. Ea in oppugnatione cum à mane uſque ad veſperam certatum foret, mille octingenti hoſtium interiere: unde manifeſtum, nec Zirixeanis incruentam fuiſſe: quot tamen ceciderint, ſilent ſcriptores. Tum Guido fatigatus, videns vi urbem capi non poſſe, aſſidere ſtatuit, donec fame, conſtabat enim penuria laborare, in manus veniret. Ligneam tamen reliquit turrim fatigando obſeſſos, tum ſpeculando, quæ in oppido agerentur. Erat Zirixeæ inter præſidiarios unus, nomine Wilhelmus, qui crebro incendiariis mittendo ſagittis, flammam turri immiſit, cum facile arida ignem admitteret materia. Accurrere tum Flandri utres aqua repletos apportantes, quo incendium exſtinguerent. Cæterum ſagittis noſtrorum propius accedere prohibiti, hoc conatu deſtiterunt. Invaluit ita flamma, ut cum hæc noctu agerentur, Schiedami in caſtris videretur. Terruit id Oſtervandium, terruit milites, dum cuncti captam urbem, & igne ab irato hoſte deletam putarent. Itaque dolere Wilhelmus, quod urbem præclarè adeo de ſe meritam, parato exercitu, promto ad pugnam milite, pene in conſpectu capi permiſiſſet. *Quoſnam in poſterum fidem verbis habituros, cum Zirixea tam nobile dediſſet documentum? Perpetuam ſui ſpectare ignominiam, in Reinerio vanam collocaſſe ſpem.* Talia querenti ſuperveniuntes Zirixea nuntii omnem ſuſpicionem exemerunt. Interea hortari, feſtinaret, ſi liberatam urbem vellet: vix etenim frumentum, etiamſi parciſſime diſtribuerent, ad paucum tempus ſuffecturum. Iam legumina, ſtramen, quo hoſtes antea foſſas oppleviſſent, in uſum extrahi equorum. Wilhelmus, gaudens ſe incendio deceptum, eoſdem cum literis remiſit nuntios, quis oraret, traherent obſidium quam diu poſſent: promittens ſimul, ſtatim ſe ad Reinerium miſſurum navem, quæ inquireret, quid de illo ſpei foret. Igitur Caletum miſſa triremis,

mis, & mox alia, quæ periculi Zirixeanorum redderent certiorem. Præfectus mari, ubi laborare intellexit, ſublatis anchoris, undecim triremibus, aliiſque triginta & octo, quas Ioannes Padrogus ducebat, tandem in Moſæ oſtium appulit: quîs è continenti claſſem junxit Oſtervandius, & ſimul Zirixeam petiere. Cæterum ventus, qui veniunti Reinerio ſecundus fuerat, Zirixeam tendentibus adverſus erat: unde factum, ut illo inſurgente, tredecim jactati fuerint diebus, priuſquam Greveningam, locum Zirixeanis propinquum, pervenirent. Hic excitatis ignibus obſeſſos adventus certiores fecerunt; quem conſtare, incenſo viciſſim igne Zirixeani ſignificaverunt. Poſtera die Zunnemariam petiere, & prælecta Schouwanæ inſulæ ora, hoſtium & oppidanorum in conſpectu ejecerunt anchoras. Ioannes Reneſſius, cujus fidei Trajectum erat commendatum, crebris Guidonem hortabatur literis, ne prœlio navali (quamvis numero militum, & navibus ſuperior) cum navarcho contenderet, qui ingens ſibi maritimis victoriis decus comparaſſet. Probabat quidem conſilium Guido; ſed gloriæ avidior, terreſtris prœlii laudibus avebat maritimi gloriam adjicere. Igitur, militum parte navibus impoſita, & ipſe conſcendit; cæteros premere jubens Zirixeanos: ducenta etenim millia ipſi fuiſſe refert Stokius. Decimus & quintus agebatur dies, ex quo Hollandi Schidamo ſolverant; cum, deficiente annona, Wilhelmus frumentatum mitteret naves, additis quæ defenderent, longis aliquot. Onuſtæ revertebantur, cum inciderent in claſſem Zelandorum; cunctæque interceptæ fuiſſent, ni præſidio additæ, in Zelandos invectæ, poſt acre certamen, hoſtes in fugam compuliſſent. Tum quoque, recipientibus ſe noſtris, quatuor hoſtium inſecutæ, ut ultimas carperent. At in has rurſum longa navis invecta, accedentibus mox & aliis, tantum terroris intulit, ut Zelandi, relictis navibus, terreſtri ſibi itinere conſulerent. Hac parta victoria, reverſum ad Oſtervandium; qui tali initio lætus, poſtero die, diſcrimen

Digitized by Google

adire decrevit. Erat is dies menſis Auguſti decimus, Sancto Laurentio dicatus. Hac de cauſſa, illo precibus fatigato, ordinata movit claſſe. Ioannes Padrogus quatuor navibus cæteras præcedebat: aſt, dum minus locorum gnarus, in vadis hæſit. Coegit id Oſtervandium certamini ſuperſedere, donec æſtu allevarentur. Hinc ſpes Guidoni Namurcæo incendundi illas. Quare navem, eximiæ magnitudinis, ſulfure ac bitumine illitam; vento & remis in noſtros concitari jubet, ratus adventu delendas. Padrogus, viſo periculo, madefactis tegere & munire naves velis; militibuſque injungere, contis ſubmoverent incendium. Vbi in procinctu fuere, accenſa navi, in ſcaphas ipſi deſiliunt, & ſtramen, faces, aliaque alendo incendio apta ingerunt. Cæterum appropinquare conantem contis repellunt, &, qui in ſcaphis erant, ſagittis prohibiti promovere illam. Nutu Dei factum ventus mutaretur, ita ut hoſtium incendiaria verteret curſum, proprioſque peteret remiges; qui, viſo periculo, remis incumbentes, ad terram delati, vix fuga evaſerunt. Nec multum abfuit, quin Flandri, dolo quem Padrogo ſtruxerant, exſtinguerentur. Inſequentem noctem, quia nihil Guidonem tentaturum confidebant, quieti deſtinarunt. At Namurcæus, ubi nullum apud Hollandos tumultum ſenſit, ratus cunctos alto ſopore oppreſſos, inſtructa claſſe, de improviſo ſupervenit, primoque impetu captis quatuor navibus, majori niſu in cæteras invehitur. Vigiles, adventantium ſtrepitu percepto, excitant clamoribus militem. Concurritur undique ad arma, & denſantur pugnatoribus tabulata. Oſtervandius, quo perculſos inopinato adventu, confirmaret, in hunc modum locutus. *Si unquam pugnandi incubuit neceſſitas, nunc adeſt; dum omnis præciſa, quia mari res geritur, ad fugam via. Victores erimus, ſi præſentia ante oculos pericula æſtimemus. Præmia vivis cum mortuis communia erunt: hos cæleſti gloria Deus, illos terrena mundus afficiet. A fortibus ignavi facile diſcernentur; ſed nullos futuros confido. Puderet, dum ad mœnia toties hoſtili ſanguine adſperſa res peragenda,*

Digitized by Google

peragenda, non unam pugnando continuare noctem, cum illi diu adeo hoſtilem fatigaverint vim. Ductor adero. facinoribus cunctis & exemplo præiturus. Pluribus hortari nolo, quia certus robori animum adeſſe. Nec ſegnius Guido admonere ſuos, *uno ex hoc certamine pendere cuncta, fruſtraque pugnatum, ſi non ultimum hoc prælium, ut ante plurima, tolerarent. Victori ingentem manere laudem, & ſpolia.* Hæc cum dixiſſet, denſantur puppes, & manus conſertæ, ita ut vix ullum, quia in anguſtiis pugnabatur, in vanum emitteretur telum. Raro alias tantis animis juſtæ concurrerunt claſſes. Guido Namurcæus, militum naviumque numero fretus, ſingulis Hollandorum plures objiciebat, ſpe circumveniundi illas. Id unus centurionum conſpicatus, arrepto Comitis ſigno, medium ſe hoſtibus intulit, clamore, manu, cæteros, ut ſubvenirent, adhortans: nec pudor in periculo relinquere, nec virtus ſinebat. Tum primum atrox ortum certamen, diſſonoque clamore cuncta completa. Edixerat Guido, ne cui parcerent, ſed cunctos citra ullam miſerationem trucidarent. Hac enim putabat in claſſe, quicquid foret hoſtibus virium; & illa debellata, omnia ſponte in manus ventura. Sed tanta Flandrorum crudelitas incitamento Hollandis ad virtutem fuit: dum malunt ſtrenue pugnando occumbere, quam, ferarum ritu, victorum in conſpectu, & ludibrio jugulari. Iam tota claſſe pugna conſerebatur, avideque miles mutuum hauriebat latus. Erat una Flandrorum navis, cujus ad mali faſtigium, corbis milite repleta, vehementer noſtris incommodabat; quia ex inferiori loco ſatis commode tela adjici non poſſent, & à Flandris miſſa gravius acciderent. Sed ea multitudine militum, commodo Hollandorum, nimium gravata, vinculis, quîs ligata erat, repente ruptis, pugnantium alios in mare præcipites dedit, alios contuſis membris miſerè afflixit. Quo defuncti periculo Hollandi, acrius certamen renovant: tranſilire, obtruncare reſiſtentes, quoſdam capere. Cæterum Flandri, priſtinæ haud immemores virtutis, contemtis ſuorum necibus, audere cuncta. Non

Digitized by Google

parentum, non fratrum, non amicorum cæde, aut propriis vulneribus territi: non illis ante oculos fatum, non gladius jugulo imminens, quicquam ardoris detrahebat; ſed cuncti, tanquam aliam mox habituri vitam, corpora objicere. Quare tantus vitæ contemtus victores fatigavit cædendo. Pleræque etenim naves aut in fugam compulſæ, aut merſæ. Inter hæc Ioannes Padrogus, allevatus rurſum æſtu, dolens, quod jam debellatis pene hoſtibus, ſuperveniret, invectus in Flandros defatigatos, quocumque vela daret, vicit. Hujuſcemodi noſtrorum ad Meridiem fortuna erat: verum ad Septentrionem Flandri multitudine noſtros acriter urgebant. Quîs ut ſuccurreret Oſtervandius, reſiſtentes ſibi Flandros primo pellit, ne videretur receſſus fugæ ſimilis, aut animus jam pene victis adderetur. Arte etiam vires firmabat, incenſa in hoſtium naves ligna præcipitando. Quæ dum illi exſtinguere conantur, tanta è fumo caligo, cunctorum opplevit oculos, ut rectà adſpicere non poſſent. Tum primum, quoniam promiſcue cæderentur, nec ulla certo referre poſſent vulnera, quando amicus amicum feriret, effuſam inierunt fugam. Interea dum hæc dextro in latere geruntur, advolat miſſus è ſiniſtro nuntius, qui, ad Wilhelmum perductus, referret non poſſe ſiſti fugam. Igitur omiſſis, quos ſequebatur, ne ſua vinceretur culpa, eo intendit iter. Vix curſum verterat, cum altera ſuperveniens navis, victos etiam in illa parte hoſtes, debellatumque nuntiaret. Nam ſociorum fuga percepta, paulatim ſe Hollandis Galliſque ſubtrahebant, terreſtri ſibi itinere conſulentes, omnia credentes tutiora, quam navibus ſalutem credere. Tum Oſtervandius, audita & ejus partis victoria, fugientibus inſiſtere, unamque poſt alteram conſectatus navem, expugnare. Inter hæc Guido, diſperſos jam videns ſuos, non animo fractus, iterato Oſtervandium aggreditur, ſtrenueque pugnam ciebat; at urgentibus Hollandis, rurſum ſe illis eripuit. Zirixeani, qui durante prœlio, mænia inſederant, avide exſpectabant exitum, inde

inde collecturi, cujuſmodi ſe ſors maneret. Obſcura adhuc nocte, Flandri circa urbem vagantes, victum Oſtervandium, pulſam claſſem, cum bellico apparatu in manus veniſſe clamitabant, & brevi ipſis de ſalute certandum. Cæterum quoniam indices ſuſpecti, non habita fides: mœſti interea orabant Deum, cladem averteret. Vbi vero illuxit, omne diſcrimen ante oculos fuit, & Flandros undique premi viderunt. Tum cuncta gaudio complent, laudare Omnipotentem, quod erepta hoſtibus victoria, incolumitatem urbi, libertatem civibus adſeruiſſet. Comes interea perculſis inſtare, fugientium anticipare curſum, & evertere reſiſtentes. Nec ſegnius mari præfectus Gallorum imminebat hoſtibus, ubique terrorem circumferens. Qui conſpectā prætoriā, qua Guido vehebatur, aliaſque quatuor, extemplo circumvenit. Sed fortiter illis repugnantibus, incepto deſiſtere, & ad noſtros ſe recipere adactus. Conſpicatus hoc Wilhelmus, converſis velis, aggreditur eos, ac poſt grave certamen & anceps, obtruncatis qui promtius reſiſtebant, in poteſtatem redegit. Captus, quamvis multum repugnans, Guido Namurcæus. Tanta erat militum ira, tantuſque furor, ut gravius quid in ipſum fuerint attentaturi, ni Oſtervandius, quo ferocibus ſubtraheret, nec victoria ſcelere macularetur, Reinerio tradidiſſet, ut Gallorum præſidio tutus in Gallias aveheretur. Sunt qui à Reinerio interceptum ferant, cujus erroris hinc origo facile colligitur: mihi libet fidem obſtringere illorum temporum hiſtorico. Cæſa in hoc navali certamine hoſtium millia decem; capti plurimi, quorum tamen numerus non eſt initus. Mille centum naves in poteſtatem redactæ, omniſque bellicus apparatus. Hac victoria, quæ undecimo Auguſti die in Gouda amne parta, bellum cum Flandris confectum; cum à mane uſque ad inſequentis diei meridiem pugnatum foret. Mox Reinerius cum captivo Guidone in Gallias abiit, ubi honeſta cuſtodia penes parentem habitus. Wilhelmus Zirixeam curandis vulneratis ſe contulit, prima

Digitized by Google

occaſione aggreſſurus, quos ante urbē reliquerat milites Guido. Sed illi, ſimulac ſuorum audierant ſtragem, deſerta Zirixea Flandriam petierant: nec tamen omnes, quia tot navibus expugnatis, cæteræ ad tranſvehendos non ſufficerent. Quare inter arenarios Schouwanæ inſulæ colles ſex millia ſe continebant, parati victoris, ſi moderata præciperet, vultum atq; juſſa ſubire. Sciebat Oſtervandius, deſperatis non inſiſtendum nimium; obtulitque ſtatim Flandris vitæ incolumitatem, rebellibus veniam, exceptis Majeſtatis reis. Tum undique confluxus hoſtium, rebelliumque, Zirixeam: etiam ſex illa millia ſe dedidere, quæ turmatim, miſſis prius aliquot, qui obſervarent, introducta: periculoſum enim univerſos ſimul admittere videbatur. Quinque Flandrorum millia vinculis addicta; oneratæque arces, cuſtodiæ, templa, & monaſteria. Nonnulli enim illorum, dum ducerentur, paulatim ſe noſtris ſubtraxerant. Liberata Flandrorum metu Schouwana inſula, Wilhelmus ad vindicanda loca hoſtibus inſeſſa parat militem. Nuſquam armis fuit opus. Sponte cuncti ſe tradiderunt. Middelburgenſes etiam advenientem recepere, victorique gratulati. Everterant horum mœnia contra pactas conditiones Flandri, quæ in continenti juſſit reparari Oſtervandius. Quatuor ſupra decem dies rebus conſtituendis, ordinandaque republica, ibi occupatus fuit: quando, Hollandiam cogitans, reverſus Zirixeam, ut Trajectum hoſtibus eriperet. Cæterum etiamnum in urbe hærenti allatum & illam deſertam, omnique nudatam præſidio. Etenim Reneſſius, ſtrage percepta Namurcæi, Trajectinis ſe credere auſus non fuit, metuens, ne eadem levitate cives, qua ante urbem Flandris, rederent Hollando, & libertatem, delictorumque veniam, ipſo emercarentur tradendo. Igitur omnia credens tutiora, quam illis ſui permittere corporis poteſtatem, cum Arnoldo Benſcopio, conjurationis in Florentium initæ conſcio, Ioanne Leidenſi, Amſtelii ſenioris filio, aliiſque, clam urbe ſe eripuit. Cæterum dum pontone,

tone, quod genus apud nos navium quo flumina trajicimus, adverſam petit ripam, navis in vado hæſit. Quam dum levare conantur, concedendo ad alterum pontonis latus, quo illo onere ſuppreſſo, attolleretur prora, multitudine ita gravarunt ut ſe illamque, ſimul ſubverterent. Ablati rapido amnis curſu ad centum numero, neque unquam poſtea viſi. Hunc exitum Ioannes Reneſſius habuit, militiæ dux ſummus: qui ſi illa quæ contra, pro patria feciſſet, immortalitate dignior foret. Nunc ſuis inviſus, ſolum hoſtibus laudatur. Pulſis etiam Trajecto Flandris, Zirixeæ ſubſtitit Comes, cuncta in Zelandia ordinaturus. Quis rebus intentus, literæ ex Hannonia perlatæ, parentem, præ nimio gaudio, audita filii victoria extinctum. Quartum & decimũ Septembris diem vitæ finem habuit, poſtquam diu cum morbo conluctatus fuiſſet. Vnum dolere Wilhelmus, quod ultimum non licuiſſet excipere ſpiritum, & ægrotanti adſidere. Habuerat Comes uxorem Philippam, quam male Bertelius Margaretam vocat, Henrici Lucenburgici Comitis filiam; ex qua filios quatuor, totidemque filias ſuſcepit. Eorum nomina hæc ſunt: Ioannes Curtracenſi prœlio occiſus, Henricus morbo ante patrem exſtinctus, Wilhelmus ſucceſſor, & alter Ioannes, Comes poſtea Bellimontii: Margareta, Roberti Atrebatis vidua, Adelheidis Comiti Claremontenſi, Maria Borbonio, Machtildis toparchæ Nielæ nuptæ. Alii adjiciunt Ioannam Fontanellenſi monaſterio præpoſitam; ſed perperam.

FINIS LIB. VII.

Digitized by Google

MATTHÆI VOSSII

ANNALIUM HOLLANDIÆ, ZELANDIÆQVE,

LIBER OCTAVVS.

Poſtquam fato functus Comes, hæreditatem filius adiit Wilhelmus, ejus vocabuli inter Hollandiæ, Zelandiæque Principes tertius. Fratri Ioanni, ex teſtamento paterno, vel, ut alii volunt, propria benignitate, Schonhoviam, Catzii proditoris toparchiam, & Goudam, inter Hollandiæ urbes non infimam, tradidit. Tolam adhæc in Zelandia, & Bellimontium in Hannonia, adjecit; ſed cuncta feudi nomine tenenda. Prima curarum, ultima in parentem pietas fuit; quam aliquantum impediebant vergens in hiemem annus, & necdum poſita cum Flandro Brabantoque odia. Sed ab hoc, quia ad conciliandum ſibi facilior viſus, poſtulat per legatos, iter liceret per ejus facere ditiones. Nec ille pietatem filii impedire voluit. Remiſſi igitur à Duce cum libello, ſeu epiſtola aſſertoria, Wilhelmum in Zelandia reperere, occupatum in ordinanda Republica, ne, ſe abſente, novi motus orirentur. Interea adeo invaluit hiems, ut glacie conſtrictis amnibus, ſuperſedere itineri, cum trajicere in Brabantiam è Zelandia non poſſet, adigeretur, magno cum dolore ſuo; quia & eodem tempore nuntii adferrent, Regem inter Gallorum, & Flandros, Ambiani de pace agi; quam minus commodo ſuorum ſubditorum ſancitam

Digitized by Google

tam iri, ſi abſens foret, prævidebat. Vnicum pro ſolatio erat, Gallorum Regem, ſuſcepti graviſſimi ſua cauſſa belli, adeo utriuſque gentis cladibus nobilitati, rationem habiturum. Feſtinare adhæc Ioanna, Caroli Valeſii filia, urgebat; quæ ipſi deſponſata, Longipontino in cœnobio præſtolabatur adventum. Annus cIↃcccv. jam agebatur quarti & decimi ſæculi quintus, cum ſoluta glacie, urbibus Zelandiæ præſidio munitis, Zirixea ſolvens, Bergas ad Zomam perveniret: cujus loci prætor Godefridus, jam ante de adventu certior factus, certa militum manu Bredam perduxit: nuntiabatur enim exules, qui in Brabantia morabantur, vitæ inſidiari. Inde Gertrudisbergam profectus, præſidium, ut & in aliis hoſti finitimis civitatibus, adauxit. Bene poſtquam Reipublicæ proſpectum, Hannoniam petiit; tantoque, ut fines attigit, poſt contuſos Flandros, cunctorum gaudio exceptus, ut mœrorem conflatum è triſti parentis caſu, viſa hujus juventa, ſtatim deponerent. Vltima pietatis officia in genitorem implerat, cum repente gravi vulnere iterato, animum domumque afflixit matris Philippæ fatum. Hujus quoque exequiis menſe Aprili celebratis, deſtinatum iter aggreditur: & quia pax inter Flandrum, Gallumque, ſancita erat, è continenti Longipontinum adiit cœnobium, ac Ioannam, peractis ab Sueſſionenſium Antiſtite ceremoniis, penatibus, induxit. Septies ex illa parens factus. Filii tres fuere; Ioannes, Wilhelmus, & Ludovicus; quorum ſolus Wilhelmus virilem pertigit ad ætatem. Filiarum nomina hæc ſunt; Margareta, Ioanna, Philippa, atque Eliſabetha. Interea Galliarum Rex Philippus, ruptis, quas cum Flandro in caſtris fecerat, pacis conditionibus, alias Roberto, Guidonis, Compendii jam extincti, filio, & ſucceſſori, (nam & is cum parente ſimul captivus tenebatur) ſi dimitti vellet, extorſit. Nec ille libertatis amore gravate eſt adſenſus. At quinque principes Flandrorum civitates, quarum mœnia diruenda conſenſerat Comes, acriter obſiſtebant, non admiſſuræ alias conditiones,

Digitized by Google

quam pacto cum Guidone convenerat. Erant & plura à Flandro conceſſa; ſed pleraque civibus iniqua. Vnum, quo cætera tolerarent, in illius favorem viſus eſt Rex egiſſe, ut cum omnes Flandrorum fœderati pactis includerentur, Gallorum, exceptis, Hannoniis, nulli. Dedit id proculdubio Flandrorum in Hollandos Zelandoſque odio. Sic Rex præclarè remuneratus tot clades ſua cauſſa perpeſſas. Guido tamen, Trajectinus Antiſtes, loco Guidonis Namurcæi liberatus: cæterorum etiam captivorum permutatio inſtituta. Incolumitate Hannoniis parta, ad Hollandos cum uxore remeavit Comes, cunctis in adventũ Roberti Flandri, ſi forſan pro fratre Guidone novi aliquid moliretur, in Zelandia proviſurus. Nihilominus, tanquam omnium ſecurus, ludos Harlemi equeſtres indixit, magno vicinorum mox Principũ concurſu celebratos. Etenim, præter viginti Comites, equites mille, multo majorem nobilium adfuiſſe multitudinem, Annales ferunt. Matronarum, aliorumque ſpectantium, numerus non initus: urbem fuiſſe oppletam conſtat. Per octiduum duravere; quando ſalus civium ad Rempublicam animum revocavit Wilhelmi. Erant illa tempeſtate inter præpotentes opibus cives plurimi, qui ab hoc illove nobili obærato emerent toparchiam, & cum ſumtibus ad ſuſtinendam dignitatem faciundis pares forent, nobilium jura non arrogarent modo, ſed invaderent; quod amplius, illorum inſtar, tributorum vectigaliumque adſererent immunitatem. Hac de cauſſa querelæ civitatum apud Comitem, minui reditus, & adimi poteſtatem in publicum tantum æris, quam ſolerent, conferendi. Metuendum etiam exemplum, & hinc pecuniæ defectum. Propterea è Republica videri, ut abſque diſcrimine, cujuſcumque conditionis homines tributa penderent. Comes juſta petere civitates, juſtè etiam ſemet opponere nobilitatem, quos offenſos nollet, videbat. Itaque evocatis Hagam cunctorum delegatis, tandem menſe Auguſto in hunc modum pronunciavit: Quicumque adſerere veram

Digitized by Google

ram avitamque nobilitatem poſſit, immunis & tributorum, & vectigalium eſto: cæteri cum civibus quibuſvis onera toleranto. Ita ex æquo lis diremta. Sequitur annus ſæculi quarti ſupra milleſimum ſextus, quando Flandrorum Comes Robertus militem armaque adverſum Hollandos colligebat; non odium, ſed intermiſſum ob Zelandiam fidelitatis juramentum prætexens, tanquam feudum Flandrorum foret. Aſſerebat adhæc, neſcio quo nixus fundamento, morte Ioannis, filii Florentii Comitis id nominis quinti, nonnulla in Hollandia hæreditario jure ad ſe delapſa, & juſtam hinc iram. Qualia autem illa fuerint bona, aut quopacto ad Flandros quicquam hæreditario jure potuerit devolvi, ignoro, palam non faciente Mejero; qui ſolus, tacentibus Annalibus noſtris, hujus belli meminit. Forſan dotis nomine, Beatrici ſorori, à Florentio marito conceſſa, ejus, filiique fato, ſua præſumebat, tanquam proximior Wilhelmo hæres. Quod vanum, cum ea ad vitam modo ex legibus tenerentur: alienare etenim ulla Comitatus bona ne ipſi quidem poterant Comites: unde manifeſtum, ſi vel ipſe Ioannes teſtamento quædam legaſſet Roberto, perinde habituros fuiſſe Patres, tanquam nullum. Sed quærenti armorum cauſſam offertur ea facile. Nec ſocius irarum defuit Brabantiæ dux Ioannes, ſpe, ut veriſimile, recuperandæ Meridionalis Hollandiæ, turpiter ante biennium deſertæ. Comes, paratu hoſtium percepto, pro gravitate belli ſedulo agere. Vicinorum id alios, qui Hollandorum Flandrorumque bella, ut atrocia deteſtabantur, modum ſanciendæ inter eos pacis quærere impulit: tantumque effecere, ut ſilentibus interea armis, utrimque delegati convenirent. Miſſus à Comite Guido Trajectinorum Antiſtes, & Walterus Caſtellionicus, Portiacenſis Comes; à Roberto, Ioannes Namurcæus cum fratre Guidone. Quid tandem illi pronunciarint, incertum. Iuramentum fidelitatis non dictum, aut quicquam conceſſum Flandro, conſtat: & evincit ſequens bellum, CIↃCCCVI.

 eandem

eandem ob cauſſam ortum. Proximo anno, ut & illo, qui hunc
cIɔcccVIII excepit, cuncta domi pacata fuere, celebris interim electione Henrici Comitis Luxeburgenſis, ejus vocabuli inter Cæſares ſeptimi. Interfuit pompæ avunculi Comes Wilhelmus, cum
cIɔcccIX. ſolemnia coronationis, Ianuarii ſexto, anno hujus ſæculi nono peragerentur. Cujus in abſentia, dubium qua de cauſſa, Hollandorum quingenti ſupra mille, trajecto Flevo, in Weſtergoa Geſterlandorum agros populati fuere. Quod ubi Heſſelo, qui tum Friſiis præerat, compertum; propere, armatis ſuis, obviam vadit, ſpe intercipiundi. Sed Hollandi, percepto adventu, tantilla manu ſe opponere Friſiorum viribus non auſi, aciem defugêre, domumque conceſſerunt. Ægre latum Friſiis, hoſtem evaſiſſe, eo magis, quod ſubactos nuper Occidentales, cæteris ferociores, & inter hos Enchuſanos, fuiſſe comperiſſent. Itaque coadunata claſſe, permiſſu Heſſeli, ducibus Bejemo, Sakone Offingahuſano, Hiddamane, aliiſque è nobilitate, quos, ut veriſimile, maxime tetigerat cladês, damnum repenſuri, Occidentalem Friſiam inrumpunt, & longe lateque actis prædis, mulctarunt Enchuſanos. Non latuere illis expeditionis auctores: quare emercantur nonnullos, qui occulte eorum ædes incenderent. Succeſſit facinus: ſed aliqui eorum intercepti, tormentiſque ſubjecti, inſtigatores Enchuſanos indicavere. Et illi quidem pœna affecti. Acceptum damnum ſecundæ adverſum Enchuſanos expeditionis cauſſa fuit; quorum domibus admodum quinque & viginti incenſis, & magna parta præda, ad ſua remearunt. Ita latrunculorum more cum Friſiis certatum: nam publica auctoritate arma ſumta non fuere, quamvis Emmius ipſum Comitem priori interfuiſſe expeditioni velit, atque adeo itinere per Velaviam facto, Weſtergoam invaſiſſe; quod mihi non ſit veriſimile. Quis credat, tantilla manu Wilhelmum, circumducendo per Velaviam copias, quando navali itinere commodius poſſet, petere hoſtem auſum fuiſſe, & validiſſimas Friſiorum res laceſſere,

Digitized by Google

laceſſere, cum ſæpe magnis nihil profectum eſſet exercitibus? Sed hæc levia: exarſit majus inſequenti anno bellum, rurſum ob Leſſiniam caſtellum, in Hannoniæ Flandriæque finibus ſitum, ſe Flandris moventibus. Ad hoc acerrimus à Roberto Comite habitus delectus; totque nomina dedere, ut numero fidentes, ſacramento ſe adſtringerent, non niſi deletis hoſtium legionibus, domum reverſuros. Tantis copiis caſtra lecta Gerardimontem inter, & Hannoniam, haud procul Leſſinia. Comes interea Wilhelmus, quantumcumque militum ex Hannonia contrahere poterat, in unum cogit. Sed non illa erat manus defendundæ incolumitati. Robore quidem equitum, & numero valebat: peditatus aut nullus, aut tyro. Scripſerat quidem ad Hollandos, Zelandoſque, Comes, ut delectum paterentur: ſed Patres, nuperrime graviſſimo defuncti bello, ſupervacaneum rebantur, novo ſe involvere; populumque vix reſpirantem, quamvis Flandrorum odio certaminis avidum, vulneribus objicere. Aderat & prætextus vitandæ offenſæ. Etenim Robertus Comes, metuens, ſi univerſas vires opponeret Hannonio, ne interea Zelandi Flandriam penetrarent, ingentem pararat claſſem, præter ſolitum viris armiſque inſtructam, quæ occupato amne Honta, tranſitum impediret. Huic in mandatis erat datum, ſi militatum in Hannoniam Hollandi, Zelandive, iviſſent; diſtractis hoſtium viribus, omnem captaret occaſionem, Walachros invadendi: in quos, ut & cæteros Zelandos, paterna ex donatione, jus adhuc prætendebat Guido Namurcæus. Igitur Comes, ſociorum viribus deſtitutus, in æquum, manifeſto ſuorum cum periculo, digredi non auſus, quo honori conſuleret, ſubornat Ioannem Namurcæum, atque Guidonem Zottechemum, pacis mentionem apud hoſtem facturos. Promtum reperere Robertum, & in has conditiones itum. *Inſulas Zelandicas in feudum retineret Comes, dummodo tantum æris, quantum reditus æquaret, fratri Guidoni in ſingulos annos perſolveret. Omni in Waſianos, & quatuor officia,* ꟾꟾꟾ CIↃCCCX.

 juri

juri renunciaret. Exules, qui vel Flandris antecedenti bello auxilio fuiſſent, vel poſtea illorum forent cauſſa pulſi, reciperet: & illis, eorumve hæredibus, bona reſtitueret, ſive ea alienata, ſeu fiſco addicta forent. Quinque è Nobiliſſimis Hannoniæ, & inter hos pacis arbitros Namurcæum & Zottichemum, obſides daret; quorum bona in Flandris ſita, (ea ad quinq; & viginti millia nummũ æſtimabantur,) *Roberto cederent, ſi contra pacta conventa quicquam tentaſſet.* Pace ſancita, Wilhelmus, inermis, ſubſequente comitatu ſplendido, in caſtra hoſtium tranſgreſſus, altero genu flexo, fidem de Zelandicis inſulis obſtrinxit Comiti Roberto. Ita bellum ob Leſſiniam ſuſceptum, majore Hollandorum Zelandorumque, quam Hannoniorum, damno, finitum; ſi Flandriæ Annalium concinnatori habenda fides. Mihi merito ſuſpectæ ſunt tabulæ, quod nulla in iis controverſiæ de Leſſinia, quæ armorum origo, mentio. Vtcumque ſit, ſpe tamen ſua lapſus eſt Flander. Non Hollandis, non Zelandis pacta placuere: quorum citra conſenſum pacem facere integrum non eſſet Comiti: ut in opere pro libertate conſcripto comprobabitur. Et conſtat, Ludovicum Nivernenſem, poſt fatum avi imperio admotum, ſollicite adeo egiſſe, exules ut reciperentur; ſed fruſtra. Vnde apertum ſatis, pacta Patres contemſiſſe; haud aliter, quam ante quinquennium principes Flandriæ civitates juramentum ſpreverant Galliarum Regi à Roberto Comite di-
cIↄcccxI. ctum. Inſequitur annus, qui ſæculi quarti & decimi undecimus habebatur; quo, nullis moventibus ſe hoſtibus, Trajectinorum Hollandi arma fuere ſecuti. Exſtruebat in ſolo Stellenwerfico caſtellum Trajectinorum Antiſtes Guido, inhibendis Friſiorum, in agrum vicinum, excurſionibus, cum ſubito ad Viennenſe concilium à Pontifice vocaretur. Speculati tum abſentiam ejus Friſones, armata juventute de improviſo foſſoribus ſuperveniunt; quorũ multis trucidatis, cæteris in fugam actis, imperfectum opus aggreſſi facile demoliti ſunt. Non ſatis erat eo metu liberatos: Vullenhoam adoriuntur, ad Auſtralem ſinum

Tranſ-

Digitized by Google

Tranſ-Iſulanicæ ditionis caſtellum, operibus valide munitum, & finibus ſuis grave moleſtumque: majore verò animo, quia nuncii adferrent, Guidonem Antiſtitem in Galliis defeciſſe. Vnde prima oppugnatio (nam ceſſuros metu putarant præſidiarios) atrox, ſed minus proſpera; cæſis, aut vulneratis ſuorum plurimis. Ergo ubi viderunt,non capi impetu, veloci ſtudio turrim ligneam trium tabulatorum, pro modo altitudinis & latam, exſtruunt, propugnaculis hoſtium celſiorem. Illa admota, inſiſtentes armati, collatis ex propinquo viribus, uno parique ardore præſidentes vallo diſpellere nitebantur: & multos humilius agitantes diſiectabant. Cæterum, qui mœnia defenſabant,quamvis certis paterent ictibus, quia deſuper tela mitterentur, contempto cadentium numero, obſtinate tutari vallum; nec quiſquam in alio magis, quam in ſe, ſpem habere. Diem noctemque interea, evertere aut incendere turrim conati, nunquam quiverunt: ita firmo undique opere (nam centonibus atque pellibus texerant) ut lapides, aut tela tormentis emiſſa, perfringere,vel ignis nocere non poſſent; quē crebro,ut & aridā materiam, de muro eminus jaciebant. Manſit is ſtatus, donec ipſe Epiſcopus advolaret: quem cum Gallorum Rege agentem de pace Robertum inter Flandrum,& Hollandiæ Comitem ſanciendа, interpellabat miſſus ad hoc Gerardus, præpoſitus Daventrienſis, pro fratre Hermanno, qui caſtello præſidebat, ſollicitus. Vt Trajectum Guido pervenit Antiſtes, cogit militem, & Hollandiam ingreſſus, Patribus haud inuitis (memoriâ perpeſſæ captivitatis, oneriſque prioribus bellis ſuſcepti) colligit militem. Promti adfuere, Bredenrodio,& Puteano, ſuperiori adverſum Brabantos victoria inclito, ductoribus. Breviſſimum iter, quando ventus ſecundus erat, patebat navibus per ſinum Auſtralem: cujus vix medium tenebant, cum & ab hoſtibus, & præſidiariis, conſpicerentur: unde illis metus, & his animus. Nam incaſſum hactenus tentatam turrem, majore mox vi aggrediuntur:

grediuntur:

grediuntur. Iuvabat & inventum evertendæ idoneum; poſtquam fruſtra ignitis impetitam jaculis, & ad quoſvis machinarum jactus firmam perſenſiſſent. Sumſere etenim vaſculum ferreis undique orbibus, & hamatis cinctum, pice, ſtupa, ſulfure, aliiſque rebus, ad recipiendam, alendamque flammam idoneis, inſtructiſſimum. Hoc incenſum, & projectum, feliciter pellibus adhæſit: quîs tandem calore arefactis, & ipſa turris materia facile ignem recepit. Tum primo miſerabile agentium in ſummo tabulato ſpectaculum, cum nulla evadendi ſpe conſumerentur. Exſtinguere quidem, qui ſecundum occupabant, conabantur: ſed & illi aut ambuſti, aut, dum ſaltu brevia ſectantur, miſere afflicti fuere. Inopinatus is caſus, & hoſtium ſuperventus, obſidium ſolvere adegit; tantaque relicta trepidatione caſtra, ut auſus erumpere cum paucis Vullenhoenſium præfectus, ultimos carpendo, ad quingentos hoſtium conciderit. Interea, ſub ejus diei veſperam, appellit cum ſuis Guido, percipitque bellum jam profligatum. Non viſum tamen inultum relinquere facinus. Itaque convocati juxta Trajectinorum, & Hollandi militis ductores, decretumque poſtera luce rependere Stellenwerfiis cladem, & ſi fortuna ferret, cæteris etiam Friſiis, priuſquam è metu ſe colligerent, aut novis viribus firmarentur. At noctu, quem quieti deſtinarant, haud ſecus, quam ſi ſummum pro Friſiis ſtetiſſet Numen, tantus cœlo cecidit imber, tantaque oborta tempeſtas fuit, ut ventorum turbine ruptis tentoriorum loris, plurimi militum pondere ruentium opprimerentur. Leve id videbatur, quando majus è pluvia incommodum; itineribus una iſta nocte redditis adeò profundis, ut genibus tenus ingredienti luto crura tegerentur. Adverſo itaque Numine nihil tentandum ſtatuit Epiſcopus, & protinus, ſublatis caſtris, repetiit claſſem. Vix terram miles reliquerat, cum conſpecta in littore ingens Friſiorum turba, expetentium, ut poſtea relatum, pacem: nam dona adferre videbantur, molliendis hoſtium animis. Quos ut jam

altum

altum tenere conſpexerunt, hilares, quod eo liberati metu, domum remearunt. Ita exiguum tempus ſalutem Friſiis attulit, & non repetiti obſequii cauſſa. Domum reverſus Antiſtes cum Geldrorum Comite de Velavia tranſegit, dudum controverſa, cujus nomine in feudum teneretur. Sed, Brabanto rejecto, quia omitteret juramento fidem obſtringere, placuit Geldrum ex eo tempore ſolum agnoſcere Epiſcopum. Ita viſum Antiſtiti, domi cuncta pacare, priuſquam iteratò peteret Gallias: quod iter eo crebrius ab ipſo ſuſceptum, quo abſens minus conſumendo, Eccleſiam, nimium prioribus bellis oneratam, levaret ſumtibus: nec opinione falſus, cum debita brevi exſolverit. Inſequenti an- cIↃ CCCXII.
no, nihil foris dignum memoria geſtum: domi Middelburgum vallo mœnibuſque, multo validioribus, juſſu Comitis circumdatum: metu haud dubio Flandrorum, qui tanquam è ſpecula ſemper inſidiabantur Zelandis. At annus ſæculi hujus ter- cIↃCCCXIII
tius ſupra decimum, memorabilis fato Henrici id vocabuli ſeptimi Imperatoris. Iam pene cunctos oppreſſerat Cæſar in Italia Gibellinæ factioni addictos, Florentinoſque acriter premebat; quos una cum Appulorum Rege Roberto hoſtes judicarat imperii. Iamque propemodum ad incitas illorum devenerant res, cum, ad ſuas converſi artes, quando vis non procederet, emercantur Bernardum, prædicatorum ordinis monachum, Imperatori à Sacris, dominum ut tolleret veneno. Nec ille ceſſavit nefandum exſequi facinus. Erat Henrico Cæſari mos ſingulis fere diebus ſacro uti pane & calice; imprimis vero feſtis, quos ardentius cæteris colebat. Hoc opportuniſſimum tempus ſceleratiſſimo viſum patrandi facinoris. Dies erat beatiſſimæ Virgini Mariæ dicatus; quo Cæſar, aliis, ſolito more, omiſſis negotiis, ſolemnia peragens, acciperet è manu hujus monachi ſacrum Dominici corporis ſymbolum, veneno infectum: quod è continenti, ut receptum venis, letum adferret. Vbi animadverſum, cœpiſſe jam virus per viſcera graſſari, Piſas reducere ſui cogita-

bant: ſed negavit ille, quandoquidem Numinis diſtineretur ſervitio, alio ſe iturum. Igitur Beneventum defertur, felicem ubi Deo animam reddidit: corpus mox Piſas delatum, & conditum. Monachus, ſuggerente (ut quidam volunt) ipſo, dum adhuc ſpiraret, Cæſare, aufugit; ſed poſtea interceptus, condignas ſcelere pœnas dedit: vivum enim excoriatum plurimi tradidere. Hic exitus Imperatorem non minus pium, quam fortem, habuit: quæ fuſius aliquanto commemoravi, quia è ſorore hujus Philippa natus foret Comes noſter. Ejus infelici fato in partes abiere Germani, dum Electorum Colonienſis, Dux Saxoniæ, adeoque ipſius Bavari frater Rudolphus Comes Palatinus, Imperatorem poſtulant Fredericum Auſtriacum, Alberti quondam Cæſaris filium: Moguntinus, Trevirenſis, Brandenburgicus, & Bohemus, non alium quam Bavariæ Ducem Ludovi-
CIↃ CCCXIV. cum, è ſorore Alberti Machtilde natum. Et ille, cum certatum, diſceptatumque per integrum eſſet annum; quarto & decimo Calendas Novembris Aquiſgrani corona inſignitus fuit. Non tamen ceſſere Electorum cæteri, quando Brandenburgici opinionem, delegati ipſius dolo non ſuppreſſam tantum, ſed mutatam, credunt, in tabulis aſtute delentis *Frederici* nomen, & *Ludovici* reponentis. Impulit hoc Colonienſem, Bonnæ, quamvis loco non ſolito, Auſtriacum coronare; cum Aquiſgrani, prævalentibus aliis, haud poſſet. Wilhelmus Hollandiæ, Reinaldus Geldriæ, Theodericus Cliviæ, Gerardus Iuliacenſis, Adolphus Marcanus, & ejuſdem nominis Bergenſis, Comites, primo à Frederici, mox ubi votis inferiorem audivere, à Ludovici partibus ſteterunt, ne bello ſuos involverent non neceſſario: mox gratia cuncti apud Imperatorem valuerunt; quam ut probaret Wilhelmo, ſeptimo Kalendas Decembris, publicis tabulis, principum Germaniæ conſenſu, Hollandiæ Comites, vinculo quo obſtricti Imperio videbantur, exemit; tantum ſibi ſuiſque ſucceſſoribus reſervato obſequii juramento. Sed hæc parvi Patribus

bus æſtimata; haud ignaris, ea à Cæſaribus fieri, quo juris ſui aliquando Hollandiam, ac Zelandiam fuiſſe, & adhuc eſſe, comprobarent. Quod ſi cuiquam competere videretur, melius è conceſſis ſpecie tenus tabulis ſibi arrogare potuiſſent Francorum Reges, ob Ducatum quondam haſce in oras ab ipſis Patribus antea collatum: ſed illo propria ipſi ſegnitie exciderunt. Dum hæc geruntur, bellum adverſus Flandros Rex Gallorum parabat. Sed cædes mutua annuis induciis præventa: quas inter Rex Philippus, dum aprum inſectatur, equo lapſus, pene exanimis, ex tanto caſu, ſuorum manibus exceptus, & ad fontem delatus Belialdi, exſpiravit; relicto ſucceſſore Ludovico Vtino, ut Regni, & iræ in Flandros hærede: nam finitis induciis arma ſtatim intulit. Ivit & eundem in hoſtem Wilhelmus Comes, in gratiam Regis, cui fœderatus erat; non Hannoniorum, quos moviſſe ſe non legitur; ſed Hollandorum, Zelandorumque nomine, ut ante cum Flandro ſtulte pacta ferro reſcinderentur. Neſcio quid impulerit Annalium Flandricorum concinnatorem, ob ſuſcepta auxilio Regis arma, fœdifragum Comitem appellare; cum pro diverſo dignitatum intuitu, ipſa ut indicat hiſtoria, arma ſumſerit. Hic enim tanquam Hollandiæ, Zelandiæque Comes bello ſe accinxit; non Hannoniæ; unde ſi aliqui militaſſe ipſi reperiuntur, id animi arbitrio fecere, haut aliter quam Hannonico bello Hollandorum antea nonnulli, quamvis Patres ſubſidia negaſſent: ideoque arma non ut publica æſtimanda, ſed privata; haud ſecus quam illorum, qui virtutis oſtentandæ ergo, exteras in oras militatum concedunt. Nunc ad inſtitutum redeo. Robertus igitur Flandriæ Comes, ut paratus hoſtium percepit, ne præoccuparetur, prior ſe movit, & Inſulas multo milite circumdedit. Quod ubi Comiti compertum, centum ſupra mille navium claſſe, quam in omnem eventum paratam tenuerat, Scaldim ſubvectus, lecto præter Antwerpiam curſu, Brochtæ militem expoſuit; primaque iram, & vim Co-

mitis experta. Inde terreſtri itinere Teneramundam petiit, urbemque milite cinxit. Interea & Rex, conflatis in unum ſuis, Atrebatum, & mox Inſulas petiit; ſolaque adventus fama ſolvit urbis obſidium. Non auſus periculum ſui facere Flander, retro Liſam amnem conceſſit, objectu fluminis ſua defenſurus. Strenue illos fugientes inſequi Rex, & quando tranſitus inhibebatur, adverſa in ripa caſtra metatus eſt. Potuiſſent tum deleri hoſtes, cum inde à Gallo, hinc ab Hollando premerentur, ni cœlum pro Flandris pugnaſſet. Tanta etenim ſubito oborta tempeſtas, & cecidit cœlo pluvia, ut ne triginta quidem ſufficerent equi, ad unicum vini dolium, ob viarum profunditates, Regia in caſtra pertrahendum. Hinc rerum omnium inopia; quæ Vtinum retrocedere tanta cum feſtinatione adegit Inſulas verſus, ut omnes bellici paratus, inſtrumenta, ſarcinæ quæ relinquebantur, aut abjicebantur, præda Flandris cederent, dum ſatis habent & corpora animis, & animos ſpe ſuſtinere. Interea Calloæ pagi incolæ naves, quas frumentatum miſerat Comes, adgreſſi, aut merſere, aut expugnavere, nautis, militibuſque ad unũ omnibus trucidatis. Quod ubi Comiti nuntiatum, qui adhuc ad Teneramundam conſidebat, parabatque ſumma vi adoriri urbem, mutata opinione militem conſcendere naves, & ultum ire facinus jubet. Vix ſuſtulerant tentoria, cum & nuncii de præpropero Vtini abitu referrent. His, ut par erat, motus, jaculato in Teneramundanorum tecta igne, Scaldi defluens, Antverpiam pervenit; urbiſque in conſpectu, eductis navibus copiis, Kieldracum primo ſpoliat inceditque: & populabundus inde Calloenſes petit: in quos quia juſtior irarum cauſſa, gravius ſævitum, & tectorum hominumque ſtrage memoria pene loci deleta. Non ſacris, non profanis, furibundæ manus abſtinuere. Direptum & Kieldracum, everſumque; totaque adeo Scaldis ora, qua Flandriam tangit, continenti quaſi fumabat incendio, priuſquam navibus præda gravis Zelandiam repeteret. Ita Flandri Omnipotentis Dei nutu

Digitized by Google

nutu vim hoſtium evaſere. Tradit Mejerus, metu Flandrorum ſe recepiſſe Comitem, ubi in procinctu cum validiſſimis eſſe copiis Robertum perſenſiſſet: contra Hollandi, tantum cunctorum certamen expoſtulantium clamorem auditum ferunt, ut viſo hoſte, vel invito Principe, in eos ruituri viderentur. Melius uterque de cœli inclementia quereretur, militaribus viis plane imbre corruptis. Infamis enim hic annus aeris inclementia toti pene terrarum orbi fuit, continuante pluvia ad decem uſque menſes; quod eo gravius accidit, quoniam idem malum æſtatem, quæ hanc præceſſerat, vexaſſet. Cumque languerent paſtor, armentarius, & arator; ubique ex incultis biennio agris, caritas primo, & hinc ſæva fuit fames oborta: quam, ut cætera mala, ſuperare natura non permittit. Ferunt Annales, quotquot iis annis per univerſum terrarum orbem ſcripti, à nato Salvatore majorem fuiſſe nunquam: non canibus, non muribus, aliove animanti, abſtinuiſſe homines. Cadavera enecta, putridum gramen, aliaque pro deliciis habita; nihil denique fuiſſe, quamvis inſolitum averſaretur cibum ſtomachus, quod non avide ingererent. Hoc, accedunte aeris corruptione, occaſionem majori malo peſtilentiæ dedit, fœdam homini, fœdam pecori. Vaſtati ubique agri, urbes aſſiduis exhauſtæ funeribus, plurimæ & claræ lugubres domus, immenſa denique nullo ordine ſtrages. Qui in montana & devia, ne inficerentur, confugerant, adventantis morbi vi, & penuria medicorum, animam efflabant: ita nuſquam ſalus tuta erat. Exſtinguebantur in tuguriolis agreſtes; tenuioris fortunæ homines catervatim morbo & morti dabantur; nullumque adeo firmum corpus reperiebatur, quod violentiæ poſſet reſiſtere. Viæ, domus, templa cadaveribus repleta. Non mos ſepulturæ in urbe reliquus; ſed quiſque ſuos, ut poterat, humabat: multi etiam, ob crebra domus funera, inſepulti manebant; amicis propinquiſque ob languorem oneri non ſufficientibus. Neque ulla jam vicinorum clades movebat alios: ſuis tantum ſinguli, ut

Digitized by Google

in communi incendio, ſervandis intenti: quod multis fato miſerius fuit, quando deſerti, & alii ſupra alios ruentes, morerentur. Imprimis vero cunctis miſerandum præbebant ſpectaculum infantes, dolorem provocante innocentia, cum ſuper inanimata parentum corpora deprehenderentur, uberaque, quæ negabant
cIↄ ccxvi. alimẽta, amplexantes viderentur dentibus arrodere. Duravit hoc & inſequenti anno malum: quo Ioannes Brabantiæ Dux Wilhelmo per legatos queſtus, Othonem Buræ Comitem armata vi ſuum invaſiſſe agrum; Tielenſes ad depellendam injuriam obviam profectos, in fugam egiſſe; unaque cum victis inrupiſſe urbem; nec ab eo deſertam, priuſquam fœde ſpoliaſſet. Offenſæ hujus inter Brabantum, & Burenum, originem non prodidere Annales. Id conſtat, eum expoſtulantem adverſum Ducem Bruxellis à concilio ejus ignominioſe rejectum. Hanc ignominiam generoſus animus cum ferre non poſſet, cauſſa armorum fuit; quæ promtius induta, Wilhelmi Comitis fiducia, cujus notham duxerat uxorem. Statuerat quidem Dux ultum ire Tielenſium cladem, ni deterritus conſilio ſuorum, qui fervidum non probabant juvenis animum, metuebantque offendere Wilhelmum, Hollandoſque; mitioribus animum remediis applicaſſet. Comes cognita lite, conventu Hochſtrati indicto, utroque præſente pronunciavit; Burenum captivum Brabanti futurum, donec ſatisfeciſſet. Id egit haud dubie, quo honori Ducis conſuleretur: qui acceptum beneficium ignoſcendo, & dimittendo mox Bureno, compenſavit. Qua tempeſtate à Florentio, Ægidii filio, divenditam Comiti mediam urbis agrique Mechlinienſis partem, accipio: aſt mox reſtituta pecunia ſui rurſum feciſſe juris. Lego, & interfuiſſe Wilhelmum cum fratre Ioanne pactis conventis, Reinaldum Geldriæ Comitem inter, & Gerardum toparcham Vornanum, Zulechemenſe territorium cum te-
cIↄccxvii lonio à Geldro emẽtẽ. Tabulæ ea de re conſignatæ ſæculi hujus anno ſeptimo ſupra decimum, menſe Martio. Reverſus interea

terea ab Gallico itinere Antiſtes Guido, novo implicatur bello. Tutelam Gisberti Goyani, Ioannes Culenburgicus,& Nicolaus Catzius gerebant, majori ſuo quam pupilli emolumento. Indignum id viſum Epiſcopo; eoque vocatos reddere actorum rationem juſſit. Illi, quibus juxta periculoſum, obſequi, aut ſpernere monentem, hoc prætulere, & vim exſpectarunt. Nec mora; adfuit ſtatim, Hollando, Trajectinoque equite & peditatu ſtipatus Guido, prœlioque impares Goyani caſtelli munitionibus incluſit. Erectæ dicto pene citius machinæ, ingentibuſque ſaxis, & crebris ictibus, concuſſum adeo munimentum, ut præſidiarii, poſt obſidium paucos dies toleratum, incolumitatem vitæ pacti, cætera hoſtium facerent arbitrii; & Culenburgicus cum Nicolao ſe rationem promitteret redditurum. Vix caſtellum Arnoldi Iſelſteinii, & Wilhelmi, noſtri Florentii quondam Comitis filii, curis commiſerat, cum repente ſubſecuta nocte cardiaco exſpiraret morbo, non ſine maxima ſuſpicione propinati à victis veneni. Exſtinctus ſexto & decimo epiſcopatus anno, quarto Kalendas menſis Iulii: cadaver Trajecti ſepultum. Quo audito, Catzius, & Culenburgicus, ſpretis conditionibus reverſi, admotis obſcura nocte ſcalis, munitionem aggreſſi iterato expugnavere, cæſis qui promtius reſiſtebant: cæteris ſalus pedibus parta. At Wilhelmus Comes fato patrui percepto, mox manum in Amſtelæ Woerdanumq; agrũ, multis Trajectinorum indignantibus, injecit. Putabant illi, cum olim feuda Eccleſiæ, & nuperrime defuncti Antiſtitis fuiſſent, rurſum Sancto Martino deberi. Contra Comes; feuda ex eo tempore Hollandici juris facta, ex quo armata manu Gisberto, & Hermanno, ademiſsent majores. Ipſum id faſſum publicis tabulis Antiſtitem Ioannem Naſſavium, quando pro ſumtibus bello factis cederet juri ſuo. Nec poſſe quicquam ex eo prætendere Trajectinos, quod à Guidone poſſeſſa forent; quia is donatione fratris obtinuiſset; eamque feudorum naturam eſse, ut, abſque hærede exſtincto cliente, ad do-

minum

Digitized by Google

minum redeant. Guidoni in Epiſcopatu ſucceſſit Fredericus Ziricius; qui brevi æs omne, ærario parcimonia illatum, intervertit prodigalitate, & perſolvendis debitis ante à ſe contractis. Per idem tempus, exardeſcentibus indies acrius inter Ludovicum & Fredericum Cæſares odiis, Colonienſes, hactenus Henricum Vernenburgicum, Antiſtitem ſuum ſecuti, qui partium Frederici erat, illo pulſo, Ludovico ſe addixerunt. Exſtimulaſſe ad patrandum facinus crediderim, quod viderent, in diſcrimen adduci opulentam civitatem, quando merces per inferiorem Germaniam diſtrahere non liceret; cum cuncti Belgarum Principes, qui utramque Rheni prætexerent ripam, tranſvectiones ex hoſtico prohiberent: favebant enim omnes Ludovico. Is ne, gravioribus ſe diſtracto, potens civitas ab Antiſtite, qui ipſis minabatur, periculum adiret; Comitem Wilhelmum ad bellum Vernenburgico inferendum exſtimulat, vicarium Imperii deſignando, donec cum æmulo pugnaret. Igitur Comes, adſumto Bohemorum Rege Ioanne, qui Luxenburgi commorabatur, fratre Ioanne Bellimontii, Gerardo Iuliaci, Adolpho Marcæ, & Ioanne Seinæ Comitibus, ſtatim movet, & longe lateque actis prædis, Brulam, munitiſſimum caſtellum, premere obſidio aggreditur. Sed fruſtra quatuor menſibus inſumtis, non citra ignominiam cœptis deſiſtere adactum, quidam tradidere. Sancitas alii cum Colonienſe inducias, cauſſam derelicti caſtelli ferunt: quîs facile acceſſerim, cum auctores habeam, priorem petiiſſe pacem Archiepiſcopum. Aaccedit, quod non multo poſt, eundẽ in hoſtem à Comite, conjuratiſque, itum ſit. Inſequens annus memorabilis Reinaldi Geldriæ Comitis captivitate à filio cognomine fuit. Iam ex eo tempore, quo inter ipſum, & Ioannem Brabantiæ Ducem, certatum ad Woringam fuerat; è capitis vulnere ſaucium, affectæ mentis exſtitiſſe, & ob id minus imperii capacem, plerique Geldrorum proceres credebant. Gnarum id filio; qui ex eo captata occaſione, cum ob ætatem imperio par foret, diutur-

CIↃCCC-XVIII.

diuturnitatem adhæc parentis vitæ & imperii pertæſus, accuſando ipſum, defectum ſollicitabat cunctorum. Nec fefellit opinio: nam & nobilitas pene omnis, & civitates fidem ipſi addixere; latibula miſero interea, & deſerto à ſuis Reinaldo, ubique quærente. Nullum reperit quieti locum, priuſquam Arnhemum, principem Geldriæ civitatem, perveniſſet; quæ, fida ipſi, ad tempus incolumitatem attulit. Tenuit ex eo tempore aliquamdiu inter parentem, filiumque lis; donec pari conſenſu Wilhelmum Comitem arbitrum ſtatuerent. Is, ut oportebat, libertati & imperio parentem reſtituit. Placuit non niſi ad tempus filio conditio: nam, oblata occaſione, parentem intercepit, vinculiſque addixit. Comitis tamen nomine, donec vixit, abſtinuit. Tantum facinus ut Wilhelmo, ita & vicinorum aliis, atrox & nefandum viſum eſt, commovente miſerationem ſenio, & indigna faſtigio fortuna. A nullo tamen quicquam tentatum in gratiam ejus reperio, quia ſuis inviſus, haud facile iteratò pro Comite obtrudi poterat. Dum hæc geruntur, Fredericus Ziricius, Trajectinorum Antiſtes, qui ad Reinaldum, priuſquam caperetur, confugerat; Comitem acceſſit, multum querens de nobilium quorundam inſolentia: cujus ipſe in cauſſa erat; quando male adminiſtrando Rempublicam, ære, quod Guido collegerat, abſumto, deſpectui ſe & infimo cuique reddidiſſet. Ex contemtu mox & odium ſecutum, imprimis toparchæ Lindani; qui cæteris contumacior, mercatorum bona detinendo, totam turbare Rempublicam conabatur. Verum Comes, arrepto Antiſtitis patrocinio, quo Lindani faſtum inſolentiamque contunderet, propere Ioanni Arkelio, ac Buræ toparchæ, in mandatis dedit, militem armaque conquirerent, quia indignus hoſtis videbatur, cui ſemet opponeret. Interea ſævire magis magiſque Lindanus, & cuncta pro animi arbitrio exſequi: eo ferocius, quia, ob delictorũ gravitatem, nullam veniæ ſpem reliquam putaret. Erat arx à Guidone Antiſtite condita, cui Dullenburgi inditum

Digitized by Google

erat nomen, munita ſatis, ſed à neceſſariis tum deſtituta. Hanc
aggreſſus expugnat, incenſamque evertit. Movit hoc,ut matu-
rarent Hollandi militis ductores, & agrum Lindani invaderent:
quem ubi ferro igneque populati,Bommeliam occupatam flam-
mis dedêre, & Lindanum caſtellum, præ metu ab ipſo toparcha
deſertum, ingreſſi, adegere incolas,tantum æris conferre, quan-
cIↃ CCCIX. tum ad Dullenburgi ædificationem ſatis foret. Proximo anno,
qui ſæculi hujus nonus ſupra decimum numerabatur, nihil di-
cIↃCCCX. gnum memoratu geſtum. Aſt illo,qui hunc excepit,Wilhelmus
Comes, ſubſidio Colonienſibus adverſum Antiſtitem ipſorum
profectus, caſtellum Vrechem expugnatum funditus delevit:
ſuffecitque ad illum pro tempore in officio continendum. Re-
perio, & eodem anno à Comite miſſas Dordrechtum literas ad
Ioannem Bergenſem, Meridionali Hollandiæ præfectum; quîs
Reinaldo Geldriæ Comiti concedat jure hæreditario, Waerden-
burgum, Zœlam, & Nieuenburgum. Quopacto autem ea loca
cIↃ CCCXI. ad Hollandos antea pervenerint, incertum mihi. Inſequenti
anno Gertrudisberga iteratò fortius munita adverſum Braban-
cIↃCCCXII torum excurſiones: cæterum illo qui excepit, qui ſecundus &
viceſimus erat, nono Calendas Iulii, ſolitum malum Hollandos
afflixit, Rheno ruptis aggeribus vicinum inundante agrum, non
ſine magna hominum, pecorum, & tectorum ſtrage. Perruptum
aggerem inſtaurare incumbebat Trajectinis, vi contractus in-
ter Florentium Comitem ejus vocabuli quartum, & Othonem,
Antiſtitem ipſorum,initi; cum ejus gratia molem ſiſtendis aquis
Ameronga Schonhovia tenus ſuis jaceret ſumtibus. Nec de-
trectavere Trajectini onus in ſe recipere: & ſtatim perrupta ex-
aggerarunt. Adhuc intenti erant operi, cum nuntii adferrent,
Antiſtitem Fredericum Ziricium, tertio & decimo Calendas
Auguſti, vita cedendo, patefeciſſe ſucceſſori locum. Hoc per-
cepto, advolat Trajectum Wilhelmus, poſtulatque locum Ziri-
cii pro Iacobo Epiſcopo Zudenſi: ſed illi minor tantum Patrum
pars,

Digitized by Google

pars, potior Iacobo Oſthornio favebat, viro integerrimo. Tumultuari ex eo cives; unde ſiniſtri quid metuens Comes, urbe ſe proripuit, plenus irarum. Et quia imprimis Florentius Eccleſiæ præpoſitus obſtitiſſet, domum ejus, quam ſplendidiſſimam Dornæ habebat, incendit, præda ſuis conceſſa. Oſthornio Pontificatum Colonienſium Antiſtes adjudicavit. Nec eo minus ad Epiſcopatum ſpirare Zudenſis, valetudinario admodum Oſthornio. Quare Romam profectus, id effecit, ut prima ſedis vacatione, ſummi Pontificis foret decernere ſucceſſorem. Nihilominus ſpe ſua excidit. Etenim defuncto duodecimo Calendas Octobris Oſthornio, ambire quidem ille dignitatem; ſed inviſum civibus Comes obtrudere noluit: qui conſpirans cum Duce Brabantiæ, & Geldriæ adminiſtratore Reinaldo, Ioannem Dieſtanum, Cameracenſis Eccleſiæ præpoſitum, inconſultis Trajectinis, qui jam Bronchorſtium elegerant, Pontifici Romano commendarat. Pontifex, motus illorum precibus, Dieſtano contulit, multum ex eo frementibus Trajectinis; qui dictitabant, non eſſe Pontificis Romani defuncto Antiſtiti novum ſurrogare; ſed ipſorum, palamque vim libertati fieri: non auſi tamen obſiſtere. Nam quamvis Bronchorſtius, inſtar Epiſcopi, jam cuncta in ſe recepiſſet, multumque fiduciæ in civibus haberet; Dieſtani tamen cum exercitu adventantis metu, ſtatim ceſſit, & cives, patefactis portis, amoto Bronchorſtio, illum receperunt. Interea exſtincto Flandrorum Comite Roberto, Ludovicus Nivernenſis, è Ludovico filio nepos, ſucceſſit. Is primordio principatus, Zelandicis ratus inſulis Comitem, quod juramentum detrectaret, excidiſſe, bellum commovit. Sed in ipſo paratu, interventu Gallorum Regis poſita ſtatim odia, & infenſis, hiſce tandem conditionibus, anno ſæculi hujus tertio & viceſimo, in cIↄccc. xxiii.
gratiam reducti: *Flandriæ Comes Hollando cederet in perpetuum inſulis Zelandicis, omnique jure, quod in eas ſe habere putabat. Iuramentum obſequii de iis nunquam expoſceret, neque pactum antea as Guidoni Namurcao.*

 In Alu-

In Aluſtanam ditionem, Waſiam, Terram quam quatuor officiorum vocant, & Gerardimontem, juri renuntiaret Hollandiæ Comes, ut & avena Cameracenſi; permitteretque Ioannem Flandricum pro ſe hæredibuſque frui Crevecuria, Alluſto, & præfectura agri Cameracenſis. De Flobeca, & Leſſinia, quæſtio ſex arbitris ſubmitteretur; quorum in manibus loca forent, donec lis decideretur. Si eveniret ob inſulas Zelandicas iterato moveri ab alterutro quæſtionem, illam non armis, ſed arbitris decidendam; & Flandros Saſtingæ, Hollandos in Rhenolandia conventum habituros; nec diſceſſuros inde, priuſquam conveniſſent. Exulum bona, quæ Flandrorum quia partes bellis prioribus ſecuti, fiſco addicta forent, ceſſura ad emolumentum Comitis Hollandiæ: ſiquam tamen fieri reſtitutionem oporteret, id Flandrum facturum è triginta millibus librarum, quas Comes ipſi daturus foret. Valentianenſes partibus Flandrorum abſtinerent. Exules, læſæ majeſtatis in alterutrum Principem rei, neutrius ſub imperio tuti forent. Hæc nomine Flandrorum ſubſignarunt tres principes civitates, Gandavum, Brugæ, & Ipræ; Hannoniorum, Hollandorum, Zelandorumque, Valentianæ, Mons-Caſtrorum, Melbodium, Binchium, Dordrechtum, Zirixea, Middelburgum, Delphi, Leida, & Harlemum, media fere quadrageſima. Quando & Henricus Roverus, Montfortii toparcha, oppidum, atque univerſum agrum Comitatui Hollandiæ ea lege ſubjecit, ut urgente neceſſitate adverſum quoſvis hoſtes ſubſidio ſuis Comes foret. Hic non multo poſt cum Friſiis cis Lavicam habitantibus pacem fecit; quod metu fœderis, Vpſtalleſbomi inter eos, cæteroſque Friſios, initi, factum ferunt illorum ſcriptores. Sequitur annus Margaritæ Comitis filiæ matrimonio cum Ludovico Imperatore nobilis; ſed magis memorandus ortu belli apud Anglos parricidialis. Imperium apud eos tenebat Eduardus id nominis ſecundus, vir melior quam callidior. Vnde patere adulatoribus, imprimis Spenſeriis duobus, parenti & filio: qui paulatim in gratiam inrumpendo, id brevi effecere, ut illorum, non regis imperium agnoſceretur. Nec ægre id Eduardo, qui quieti ſtudebat; ſed nobilitati,

CIƆCCCXXIV.

Digitized by Google

tati, latum. Etenim ferre non poterant, multo ſe dignitate inferiores ad id faſtigii ſocordia Regis evectos. Iuvabat & eorum machinamenta occulte Regina Iſabella, Gallorum Regis filia, femina, ſi ulla, ſubdola, verſipellis, imperii avida, & ob id Spenſeriis adverſa. Qui eam fruſtra in partes trahere conati, alia aggrediuntur via, non veriti Regem in uxore lædere. Erant Reginæ Comites matronæ Gallia oriundæ; eoque, quod pueritiam ſimul exegiſſent, gratiores. Auctores igitur Regi fiunt, haſce dimoveret; nec permitteret aulam Gallorum moribus inſici: ſat virginum, ſat matronarum in Anglia; nec linguæ imperitiam poſſe tam diu Britanniæ immoratam prætexere. Pelluntur ſtatim, & affinitate Spenſeriis junctæ obtruduntur. Male id habuit ſagaciſſimam feminam; ſed preſſit dolorem, vindictam oblata occaſione auſura: quæ opportune, bello in Aquitania exorto, mox ſe obtulit. Vrgebant ibi vehementer Anglos Galli; parumque aberat, quin univerſa debellaretur regio. Nec commoda erat occaſio adjutandi eos. Quare Spenſerii, communicato cum Rege conſilio, perſuaſere, uxorem mitteret, Regem fratrem melius moturam, ut bello omiſſo, facilius citra dignationis periculum, pacem impetraret. Nec ingratum id Regi, neque Iſabellæ fuit; quæ honoris ſpecie ablegata exitium Spenſeriis maturabat: certa interim nihil adverſum Regnum, priuſquam maritum vel filium in poteſtate haberet, tentare. Igitur profecta, ut fratri Gallorum Regi ſe ſtitit, hac conditione cum illo tranſegit: Vniverſa rurſum Anglici juris Aquitania foret, ea lege, ut ipſe Rex tranſmittens juramento fidem obſtringeret: ſin is imperii curis impeditus foret, per filium, nec alterum, id ageret. Mittitur Walliæ Princeps, patri cognominis; qui dato jurejurando, ſuaſu matris, in Galliis manſit. Suſpectum id Spenſeriis; revocantque crebris cum Regina filium literis. Sed illa, moram nectendo, dolis integrum annum eluſit: cIↄcccxxvi
quando illi, aperto jam odio flagrantem, tanquam minus Regi

 obſequen-

obſequentem, Regni hoſtem declarandam decernunt. Aderat Reginæ in Francia Comes Hugo Mortimerus, ob vincula quondam injecta Spenſeriis infenſus; quem fama ferebat conſuetudinem minus decoram cum Iſabella habere. Is crebro exſtimulare illam, auderet aliquid pro ſalute Regis, Regni; totque faventes ſibi proceres nefariorum tyrannidi eriperet. Cæterum Eduardus, Spenſeriorum inſtinctu, animos Gallorum interea promiſſis ſollicitat, ut vel renitentem in Angliam deportarent; ipſo Gallorum Rege à facinore non alieno. Senſit dolum Iſabella, & protinus cum filio, ac Mortimero, relicta fratris aula, in Hannoniam fuga pervenit. Comes Wilhelmus de adventu certior factus, maximis itineribus obviam profectus ſuſcepit, & Valentianas condigna faſtigio pompa perduxit. Interea multi Anglorum proceres, tyrannidem Spenſeriorum exoſi, ad Reginam confluebant, pleni querimoniarum: cæteri literis, ſi tranſitum paucis cum cohortibus maturaret, defectum pollicitabantur. Deerant vires; inventus, offenſo fratre, modus. Erat Comiti filiarum tertiogenita Philippa: hanc uxorem filio poſtulat, rata, ut evenit, in generi gratiam, ſocerum ſat militum petendis inviſis in Anglia hoſtibus, ſuppeditaturum. Fide utrimque firmata, Dordrechtum contendunt; coadunataque trium millium manu, ductu Ioannis Schonhovianorum, & Goudæ toparchæ, Regina, ſalutato protinus Comite, Angliam claſſe petiit. Ventus adverſus, quo portum, quem petebant, tenere non potuerunt, ſaluti fuit. Regia enim in ſtatione claſſis, & multo noſtra major, prœlio avida adventum præſtolabatur. Itaque coacti in Zutfolcia appulere; ubi ilico Cantuarienſium & Elienſium Antiſtites in procinctu, nec non magna nobilium multitudo fuit. Statim mota caſtra, inopinantem ut hoſtem opprimerent; quem Londinenſes ad arma vocare nuntiabatur. Sed hi detrectabant militiam, donec Spenſerii à conſiliis forent. Id minus ex animo illis; eoque ſtatim Regi auctores fuere, alios tractus, ubi integra adhuc

Digitized by Google

adhuc fama, petendos, *non decorum illi*, dicentes, *populo ſupplicem fieri: ſed pœnas aliquando pervicaciæ expoſcere. Satis, pro temporis neceſſitate, arcem præſidio firmare, rebellium cervicibus incumbentem.* Qua milite onerata, Rex alia atque alia adire cum Spenſeriis loca; ſed apud cunctos famam ita exoletam cognovit, ut nihil ſecurius incolumitati, quam Walliam, crederet; munitis interim à tergo urbibus quibuſdam relictis, impediendo hoſtium itineri, qui pone ſequebantur, omnemque in celeritate ſpem collocabant. Sed illi jam Briſtollium, cui ſenior Spenſerius præſidebat, expugnarant; quem caudæ equi alligatum trahi per caſtra, & adhuc ſpirantem, mox ſtrangulari Regina juſſit. Præciſum ei caput validæ Wintonienſium urbi, cujus Comes fuerat, oſtenſum, ſuffecit ad ejus loci deditionem. Hujus exemplum aliæ ſecutæ, & brevi tota Anglia. Reſtabat latibulum Regis, junioriſque Spenſerii, Wallia: quam Henricus Lancaſtrius, nullo reſiſtente, facile perdomuit; Regemque cum Spenſerio, alioſque captivos trahens, iter ad Reginam convertebat. Verum metuens, ne ab infenſa & truculenta ſatis Regina atrocius quid in maritum ſtatueretur, illo Kenevorthemi arcta ſub cuſtodia relicto, cum Spenſerio, cæteriſque captivis, Herefordiam ad Reginam pervenit. Quæ illos omnibus ad tempus ludibrio expoſitos, variis tandem ſuppliciis conſumſit. Dum hæc Hollandorum, Zelandorumque armis in Anglia geruntur, Comes, in gratiam affinis Ludovici Bavari, qui adverſum ſibi jam Fredericum Auſtriacum, prœlio Muldorfienſi victum, vinculis addixerat, arma rurſum Colonienſium Antiſtiti intulit, & Weſtphaliam inrumpens, fœde populationibus, quidquid ejus erat, vaſtavit. Volmenſteinii adhæc caſtello, poſt grave obſidium in ditionem redacto, & varie mulctato Antiſtite, domum remeavit. Proximo anno cum Geldro Comes à ſubdolo Reinaldo Falcobergenſi toparcha elu- cIↄcccxxvi
ſus fuit. Is populabatur Brabanti, & imprimis Trajectinorum ad Moſam agrum, corradendo è præda æs, quo Iuliacenſi ſatisfaceret.

Digitized by Google

ceret. Indignum id Duci viſum, ſua rapi alterius gratia: eoque aggreſſum armata manu ad mitiora compulit. Sed poſt abitum Ducis, ad ingenium reverſus, nihil non audere adverſum Moſanos Trajectenſes. Cæterum adventu Ducis percepto, quo civibus parceret, in manus Brabanti ſponte venit. Dux, cum venia non meliorem redditum animadverteret, primum Bruxellis libera habuit cuſtodia: verum inde cum fugam meditaretur, Gennapienſi arci incluſit. Movit hoc Geldrum, & Comitem Wilhelmum, pro ipſo ut intercederent, vadeſque fierent pro bis mille, ac centum libris, ſi dimiſſus hoſtilia reſumeret. Aſt ille, Bohemo arma Brabanto inferēte, neglectis vadibus illi ſe junxit, pejoraque fiducia ſocii Regis auſus fuit. Nec Comes ſe Bohemo opponere voluit; quando Ludovico Imperatori gratus, & omnibus adverſum Colonienſium Antiſtitem expeditionibus
CIↃCCCXXVII. ſocius adfuiſſet. Excepit annum hunc ſæculi hujus ſeptimus ſupra viceſimum; quo Regina Iſabella Londinum profecta, maximo cunctorum applauſu, & publicis gratulationibus excepta. Adfuere è continenti Anglorum proceres, & publicus, quod Parlamentum vocant, indictus eſt conventus. Actum ibi, judicatumque, Regem faſtigio & oneri imparem deponendum; inſigniaque majeſtatis tradenda filio. Quod cum matri ingratum cerneret Eduardus, juravit, non ſe regnum ſuſcepturum, priuſquam ipſe ratam juberet electionem captivus pater. Mittuntur Kenevorthemum delegati, filii qui pietatem exponerent. Verum ille, ut loquentes audivit, mœſtus, nec amplius lachrimarum potens: *Neſcio*, inquit, *quam ob cauſſam populi mei iram experiar: ſi tamen juſte; veniam deprecor. Et quia eo neceſſitatis deventum, ut Regno cedendum ſit, gratias ago, quod non alterum, quam filium, ſuccedere volueritis.* His dictis, legati cum reſponſo, & Regiis ornamentis, Londinum reverſi, viceſimo Ianuarii die, non ultra refragantem inaugurant Eduardum, ejus nominis inter Anglorum Reges tertium, tum quatuor & decem annos natum. Tutores fuere: Iſabella,

Digitized by Google

bella, Edmundus Cantianus,& Henricus Lancaſtrius patrui,nec non Hugo Mortimerius. Hæc acta,præſente Ioanne, Schonhovianorum toparcha; qui adhuc cum ſuis Anglia,Reginæ & procerum juſſu, attinebatur, uſui futurus bello, quod in Scotos pararetur; quos conjuraſſe pro liberando Rege nuncii adferebant. Igitur Rex Eduardus, collectis in unum ſuis, acie incedens, caſtra movet, avidus prœlii. Eboracum uſque pervenerat, cum, qua de cauſſa incertum, Hollandus Zelanduſque miles in Anglos, nequaquam illis ſegniter agentibus, ferrum ſtrinxit; &,trecentis eorum trucidatis, fervor ulterius pertraxiſſet, ni Regis, Ducumque interventu fuiſſent pacati: magna alioquin clades, ex ipſorum Britannorum opinione, imminuiſſet illa die Anglis. Hic animorum diſſenſus in cauſa erat, quod elapſus manibus hoſtis, multum indignante Eduardo. Qui ubi Londinum pervenit, Hollandos, Zelandos, eorumque ſocios, gratiis actis pro laboribus inſumtis, domum dimiſit. Ioanni vero Bellimontio, plurima, ut ferunt, munera contulit. Eodem fere tempore, quo deſignatus Rex Eduardus, Imperator Ludovicus Romam cogitabat, ut coronaretur. Et quo ſolemnibus intereſſet ſocer, dederat ad ipſum literas, quîs poſtularet, una ſecum iter arriperet, ſocius & adjutor futurus debellandis Gibellinis. Noluit denegare genero Comes: itaque armatis propere equitibus octingentis, adſumtiſque Geldriæ Comite Renaldo, Cliviæ Theoderico, Iuliacenſi Wilhelmo, & Odulpho Bergenſi,itineri ſe dedit. Non procul Avennione erat, ubi Bavari metu Pontifex deliteſcebat,cum viſendi ejus, & ſimul conciliandi Cæſari ſtudio, urbem, ipſumque peteret. Cæterum Pontifex, interrupto Rhodani ponte, quanquam pacato veniret animo, aditum tamen præſcidit: imo interminatus, ſi perſiſteret Italiam adire, & jungere ſe Ludovico ſocium, aqua & igni ſe ipſi, militibuſque, interdicturum. Movit ſuperſtitio devotum Comitem, ut & iter, quamvis cæteris in opinione perſiſtentibus, Pariſios converteret.

Digitized by Google

Vbi Regem Philippum Valeſium, qui Carolo ſucceſſerat, reperit vires armaque colligentem, in inſequentem annum, adverſum Flandros, gratia Ludovici Comitis à ſuis pulſi. Etenim Flandri, Caroli Gallorum Regis fato percepto, & certaminibus Principum de ſucceſſore; pulſis aut occiſis Regiis, Comitiſque exactoribus; Colino Zanneka, propinquorumque ejus inſtinctu, exceptis Gandenſibus, & Aldenardanis, omnes rebellavere: præcipue in exitiū nobilitatis accendebantur: quorū alii Gandavum, alii in Gallias ad Comitem profugi, opem poſtulabant. Is querelas apud Gallorum proceres deponens nihil impetrare potuit, donec diſtracta eorum pro ſucceſſore ſtudia: pars etenim Anglorum Regem Eduardum, Iſabella defuncti Regis Caroli ſorore natum; cæteri Philippum Valeſium, patruelem ejuſdem Caroli, depoſcebant. At poſtquam, rejecto Anglo, Valeſius obtinuit; ſtatim conquiſitione militum facta in rebelles duxit exercitum; caſtraque Atrebatum, & inde adverſum hoſtes movit. Iunxit ſe illi ſocium præter alios Wilhelmus Comes, octodecim peditum ſigna, & turmam equitum, quam frater Ioannes ducebat, una trahens. Peditatum ex Hollandis Zelandiſque confectum fuiſſe, inde conſtat; quod eorum ductores fuiſſe tradantur Wilhelmus Oſtervandius Comitis filius, Theodericus Bredenrodius, Ioannes Arkelius, Ioannes Egmundanus, quem Alardum Mejerus vocat, Philippus Waſſenarius, Arnoldus Cruningius, Ioannes Polanæ & Leccæ toparcha, Ioannes Hamſtedus, & Ioannes Duvenvordius: equitatum peregre advectum, Mejerus tradidit. Prope Caſſetum, in tumulo civitati propinquo, & urgendis hoſtibus peropportuno, conjurati duce Zanneka conſidebant. Eo & movit Rex. Primo caſtra caſtris modico intervallo ſunt objecta: deinceps procurſationes, leviaque certamina, ſtudio, deducendis è tumulo hoſtibus, & vario eventu, habita. Quem poſteaquam immotum conſiſtere viſum, populando in oculis agros, agitare eorum animos cœpit. Sed quamvis cuncta conti-

Digitized by Google

continenti pene incendio arderent; non tamen ſe movebant. Cæterum ubi tandem potiorem exercitus partem, à populatione, curſu, & ſudore, fatigatum, Zanneka in caſtris recipi conſpexit: tum ille ad commilitones, *jam jam tempus, ô ſocii, ultum ire agri domorumque jacturam, & armorum oneri imparem hoſtem aggredi: ſatis & nobis militum, & roboris plus quam fatigatis. Ite, & integri vigenteſque in caſtra hoſtium eodem irrumpite animo, quo veſtra hactenus tutati eſtis.* Simul, triplici acie tumulo devolutus, Gallorum ſtationibus ſe intulit, tanto impetu, ut Regium jam ante tabernaculum pugnaretur, priuſquam ipſo pene de ſuperventu conſtaret. Protinus cuncti ſe in fugam Galli dedere: paucos deſerendi Regem pudor tenuit; qui ſuffecere, donec Wilhelmus Comes cum ſuis advolaret. Is percepto Regis periculo, *Commilitones*, inquit, *nunc, ſi unquam, evenit tempus oſtendendæ virtutis. Rex à ſuis deſertus premitur, tabernaculum obſidetur, adeoque nulla reſtat ipſi incolumitatis, niſi veſtris in manibus, ſpes. Adjiciatur hoc gloriæ, Philippum ſervaſſe, & Gallos Hollando Zelandoque militi ſalutem debuiſſe. Sed aliud admonendi tempus: nunc rapite ſigna, & victoriam hoſtibus extorquete.* Iam magna parte cæſis, qui circa Regem erant, & cæteris fugam circumſpectantibus, Hollandorum Zelandorumque acies, velut cœlo miſſa, perruptis obſiſtentium ordinibus, tabernaculo ſe objecit. Cædes hactenus fuerat; hinc pugnæ exordium. Zanneka circumire ordines; pericula, ſi cederent, oſtentare: nec ſegnius Comes ſuum ad gloriam militem hortabatur. Interea plurimi Gallorum, qui ſolutis ordinibus vage diſſipati fuerant, Ducum hortamentis ad integrum reverſi agmen, conjuratorum aciei circumfunduntur. Acuit Flandrorum virtutem neceſſitas, omni ad fugam præcluſa jam via, plurimiſque ſimul locis pugnam ciebant. Imprimis vero eminebat omnium in oculis Zannekæ fortitudo: quem non minus boni ducis, quam militis, officio fungentem Comes cum globo ſuorum invadit, multumque quamvis repugnantem trucidat; non ſine manifeſto corporis periculo, quan-

Digitized by Google

do equi caſu parum ab exitio, ni repente in alium ſublevatus, diſcrimini exemtus fuiſſet. Non tamen movit ductoris fatum conjuratos; qui ſpretis periculis, ſpe incolumitatis fuga parandæ ablata, cum contemtu in hoſtem ruebant: donec prudentiorum conſilio, laxatis à tergo ordinibus, patefacta via, receptus in montem daretur: quem ilico fuga petentes, certis ictibus patuere. Sex millia Flandrorum, qui minimum, trucidata ferunt, novem alii: nonnulli de triginta, aut quadraginta millibus prodidere: ſed hi fidem exſuperant. Is finis prœlii Hollandorum Zelandorumque virtute parti: cujus invidi Galli, quia Regis ſalutem debent, Fortunam Francicam eo die ſubſidio fuiſſe commenti ſunt. Refert Mejerus, Roberti Flandri in defendundo Rege Philippo imprimis famam inclytam, dum omnium primus Zannekæ impetum tardaret. Silent antiquiores: quorum nonnulli Wilhelmo Oſtervandio omnem videntur gloriam tribuere: & firmat opinionem, quod mox à prœlio, equeſtri à Rege ornatus fuerit dignitate. Vtcumque ſit, is omnium conſenſus, Hollandis Zelandiſque debuiſſe Philippum incolumitatem, & Ludovicum Flandrorum Comitem reditum: nam illo prœlio omnes conjuratorum vires conciderunt. In Hollandiam reverſus Comes excipitur ab Anglorum Regis Eduardi legatis, orantibus ut promiſſā ante matrimonio Philippā tranſmitteret. Ad hanc deducendā Regi, ob virtutem carus, Ioannes Bellimontius Goudæ Schonhovięque toparcha deſtinatur: & citra moram claſſem adſcendunt. Vt in Angliā deventū, protinus magno cunctorū applauſu nuptiæ celebratæ fuerunt. Interea Comes, contuſis in Flandria rebellibus, Friſios orientales, detrectantes imperiū, ſummis ſtatuit adoriri viribus: dumq; cætera parantur, claſſem emiſit; quæ terrorem circumferendo, eorū occuparet naves, aut ſpoliaret; vel oram vaſtaret maritimam. Mardenſis, & Geſterlandicus ager impune tum populatus, non citra hoſtiū cladem. Plurimæ etiam interceptæ naves, aut merſæ; quarum gubernatores,

natores, propugnatoreſque, nulla vitæ conceſſa incolumitate, alto dederunt. Hoc ad virtutem inſtigamento Friſiis fuit; qui percepta Hollandorum truculentia, & majore crudelitate in noſtros graſſari auſi fuere. Animadvertebat ex eo Comes, obſtinatos ad imperium haud facile reverſuros, ſi non ſummis viribus adoriretur. Vnde ipſe de tranſitu cogitare, firmatis ad id mercenaria manu legionibus. Quod ubi Friſiis compertum, metuere ſibi: &, poſtquam atrociſſima quæque belli à prudentioribus, imprimis Sacri ordinis, propoſita forent; decreverunt, legatione publica veniam delictorum precari, & ſimul ſe ſuaque, tanquam legitimo Principi, Wilhelmo ſubjicere. Mittuntur illi, qui molliora ſuaſerant. Vbi Harlemum venere, & ad Comitem fuere introducti, in has ivere conditiones: *omnes cis Lavicam Friſii intra biennium fidem Comiti Wilhelmo obligarent: nobiles toparchias in feudum reciperent: tributi tantum in ſingulos annos penderent, quantum à majoribus præſtitum: præfectum, & in ſingulis pagis judicem reciperent.* Hæc antiquiores tam Hollandorum, quam Friſiorum ſcriptores. Contra Emmius, conſignatas ab illis non diffitetur tabulas; cæterum cum indignatione, poſtquam domum veniſſent legati, à concilio rejectas: quam ut firmet opinionem, biennio poſt prolongatas inducias, & novis colloquiis tentatam ſemper pacem, aſſerit, donec Comes exſtingueretur; & ita omni penitus liberarentur metu. Sed obſtrepunt veteres; qui veritati firmamentum addunt, quando poſteris traditum reliquere, ipſos demonſtraſſe Comiti Friſios, quantum juris illi, quo in loco jus dicendum, & quali pompa adeunda foret Friſia: unde facile mihi perſuaſerim, amore gentis à vero Emmium receſſiſſe. Dum hæc geruntur, miſſus à Reinerio Boruſſiæ magiſtro nuncius Ioannem Bohemiæ Regem adgreditur: fuſos fugatoſque à Polonis ſuos, magnamque & ditioni, & populo, imminere vaſtitatem, niſi celerrime ſuccurreretur. Avidum militaris gloriæ Bohemum, exſtimulabat majoris imperii cupiditas. Itaque collecta quan-

Digitized by Google

tum poterat manu, exeunte anno, ſexto Kalendas Decembris
cIↃcccxxix movet; comitante eum inter alios, non parvo cum militum numero, Wilhelmo Oſtervandio. Vbi Polonorum fines attigere, Dobrinam arcem adgrediuntur, cui Paulus Spicimerius Palatinus præſidebat, & poſt acrem oppugnationem in ditionem redigunt. Munienda Vernerio tradita. Tranſmiſſo inde Viſtula amne Vladiſlaviam expugnant, incenduntque, & Chechocinenſium ditione occupata, Maſoviam invadunt. Qua fœdum in modum vaſtata, adegerunt Vaneconem, quem alii Wenceſlaum vocant, ejus gentis Ducem, ſe ſuaque in manus tradere Ioanni, tanquam vero Polonorum, (nam titulum adſumſerat) Regi. Reſtabat ingens inter Boruſſos, & Polonos, de Pomerania quæſtio, utriſque ſuam adſerentibus. Hanc quoque ut tolleret litem Bohemus, Boruſſis adſignavit, dictitante identidem ſui juris ex æquo decidere. Interea dum à Rege, & Oſtervandio, hæc in Boruſſia geruntur, Comes Wilhelmus, adſumto Renaldo Geldro, adverſum Monaſterienſium Antiſtitem, ejuſque ſocium Haſſiæ Landtgravium, in gratiam haud dubio Ludovici Imperatoris, arma ſumſit. Sed nihil dignum memoria geſtum comperio, cum de ſumma rerum nunquam certatum fuerit. Qua tempeſtate Falcoburgum, principem Reinaldi Comitis (qui Wilhelmum cum Geldro vades, ut memoratum, eluſerat) civitatem, una cum filio ejus Walramo, Brabantus, multum indignante Bohemo, expugnavit: qui hinc Gallum in Brabantos concitare conatus, dum ipſe aliis attinetur, fruſtra adlaboravit; edocto à Duce Rege, merito pœnas dare. Nihilominus pacis arbiter electus, mora eludendo Brabantum, viſus eſt Falcobergenſi occul-
CIↃcccxxx. te favere: quod mox accedunte levi cauſſa palam fecit. Etenim inſequentis anni exordio, ob Robertum Atrebatem profugum à Duce receptum, quia reddere negaret, cunctos Belgarum pene Principes, ære mercatus eſt ad bellum ipſi inferendum. Conjurantium in Brabanti perniciem principes fuere; Iohannes Bohemiæ

Digitized by Google

hemiæ Rex; Balduinus Trevirenſium, Walramus Colonienſium, Adolphus Marcanus Leodicenſium Antiſtites; Renaldus Geldriæ, Gerardus Iuliaci, Ioannes Namurci, Ludovicus Loſſenſium, Ioannes Bellimontii Comites; & Reinaldus Falcoburgi CIƆCCC-XXXII. toparcha. Integrum biennium belli paratibus, & ſpargendo terrori inſumſere. Quando Theodericus Cliviæ Comes, Altenaenſem tractum, oppidumque Wodrichemum longe à ſuis diſſitum finibus, & proin multorum injuriis obnoxium, iterato Hollandis, pactis prius bis mille & quingentis libris, ſubjecit; anno ſexto & viceſimo, poſtquam avus ejus Hollandis ademtum, ſibi vindicaſſet. Erat earum tum ditionum toparcha Wilhelmus Hornanus, Gerardi filius, qui ad Comitem profectus juramento fidem obſtrinxit. Interea Brabantus, pro ingruentis belli mole, ſedulo cuncta agere, omneſque armare juniores: longinqua etiam evocare ſubſidia: ita ut neque ipſi milites defuerint. Comes, quamquam adverſa valetudine infirmus, de Brabanto, cujus imperio metuebat, ſollicitus, lectica ſe in ejus caſtra primo, mox hoſtium deferri juſſit, nihil non tentaturus reducendo in gratiam offenſos. Sed fruſtra adlaboravit, Bohemo, cæteriſque conjuratis, fiducia virium cum fremitu verba excipientibus. Tum Comes ad Ducem reverſus, *magna*, inquit, *multitudo tuis incumbit agris; qui feroces ante aciem jam debellatum putant, ignari aliter lingua, aliter armis certari, & hoc virorum, illud feminarum eſſe. Tu deſpice contemnentes; nec paucitas tua tibi metum incutiat. Non omnes in prælio lacertos movent, plures ſpectant. Multitudo ipſa etiam plerumque oneri, & majoris damni occaſio. Pluribus non erigo animum per ſe ſatis egregium.* Ita admonito, in Hannoniam diſceſſit: & mox fœderati, cunctis ad bellum paratis, Brabantiam, qua Gallicum limitem, Leodicenſibus vicinum, ſpectat, invadunt, ferro igneque cuncta conſumentes. Sequebatur, quocumque iter facerent, Dux, aciei paratus: cujus illi incerta detrectabant, dum ſatis habent omnem incendiis fœdare, & populando vaſtam red-

dere

dere Brabantiam. Dum hæc geruntur, Trajectinorum incurſabat agrum cliens Hollandiæ Comitis Henricus, Hagenſteinii toparcha, & cuncta rapinis cædibuſque miſcebat. Potuiſſet quidem Antiſtes petulantem compeſcere hoſtem, ni veritus iram Wilhelmi, maluiſſet ejus rem totam facere arbitrii. Ille, dimiſſis nunciis, reddere Hagenſteinium prædam, & ſatisfacere jubet: & ſimul, repulſam paſſus, mandat præfecto agri Rheno adjacentis Wilhelmo Cuſero, cogere militem, armiſque cum Trajectinis petere contumacem. Igitur Cuſerus, coadunatis in unum Waterlandis, & Amſtelodamenſibus, ubi ſe Trajectinorum Antiſtiti junxit, tranſmiſſo amne Lecca, nullo ſe hoſtium movente, fœdum in modum omnem Hagenſteinii agrum nulla non
CIↃCCC-XXXIII. belli clade concuſſit, adegitque facili negotio ad molliora. Inſequenti anno, qui poſt milleſimum tertius & triceſimus numerabatur, Comes, in gratiam Brabanti, cujus tot tantique hoſtes agris incubabant, iterata legatione, fruſtra ante tentatam pacem conficere aggreditur; multoque tandem labore hebdomadum ſex inducias impetravit: quarum medio, per Philippam uxorem, eandemque Gallorum Regis ſororem, Ducem Gallo, multum quamvis Bohemo, cæteriſque conjuratis reclamantibus, conciliavit. Ipſe Brabantus Compendium, & inde Lutetiam profectus, Regem Valeſium adiit, & firmando fœderi, volente ita Gallo, Ioannem primogenitum Mariæ Regis filiæ deſpondit. Vrebat hoc Wilhelmũ, cui ſe jurejurando Brabantus obſtrinxerat, non aliam ducturum filium, quam Eliſabetham ejus gnatam: & quia Rex ipſe ejus conſilii conſcius foret, nunquam, bello inter ipſum & Anglorum Regem oborto, moderata ſuaſit. Brabanto palam primo infeſtus, mox & hoſtis factus eſt. Quo vero & conjurati placarentur, viſum fuit in ſequentem annum, Cameraci indicere conventum. Rex ipſe ex hoſte arbiter factus, in favorem Brabanti, qui jam Atrebatem excedere terris juſſerat, cuncta pronunciavit, multum ex eo fremente Bohemo,
& Leo-

Digitized by Google

& Leodicenſi: ſed diſſimularunt dolorem, dum cæteris ſociorum non tantum virium, nec temere offendendum Gallorum Regem exiſtimant. Præ cæteris vero læſum honorem Leodicenſium putabat præſul; eoque palam nova belli ſemina jacere. Mechlinienſes, bello ardente cum Brabantis, deſerto illo; Ducem ſequuti, magnum momentum partibus attulerant, non obſtante juramento, quo Leodicenſi Eccleſiæ obnoxii. Id ægre latum Antiſtiti; eoque, è conſenſu procerum ſuæ gentis, Flandriæ Comiti Ludovico, qui tum Cameraci aderat, Mechliniam, acceptis ab illo centum millibus florenorum, in feudum conceſſit, ea lege, ut in perpetuum Flandriæ anneſteret, nec alteri tenendam liceret tradere. Impulit etiam, quo facilius deſtinata procederent, Geldriæ Comitem nomine filiæ, cui hæreditario civilis juriſdictio dotis nomine obtigerat, vendere jus ſuum, atque in Flandriæ Comitem transferre; ratus, ut evenit, Mechlinienſes non recepturos Flandrum, & ex eo certum hoſtem habiturum Ducem, quem illos defenſurum prævidebat. Nec dubito, quin, eodem Marcano auctore, inter Ludovicum, & Comitem Wilhelmum, de Leſſinia, & Flobeca, convenerit, quo & illum in partes traheret, gnarus ſatis, quanto ante Ducem coluiſſet ardentius, nunc magis odiſſe, ob turbatas gnatæ nuptias. Cameraci etenim diremiſſe litem undecimo Kalendas Iunias conſtat, atque in hunc modum ab arbitris pronunciatum. *Flobecam & Leſſiniam feudi nomine poſſideret Wilhelmus, hæredeſque ejus Hannoniæ Comites, ea lege, ut libras mille Flandro ſingulis annis penderent; neve validioribus circumdarent unquam operibus: Wilhelmo Mortavienſi, pro vindicato jure, ſi Patribus æqua juſtaque petere videretur, Ludovicus ſatisfaceret.* Dum hæc geruntur, Trajectini iram Wilhelmi Duvenvordii provocarunt, occidendo, qua de cauſſa neſcitur, Giſelberto, Neovardiæ prætore. Illud conſtat, negatos ad pœnam ſceleris auctores, & cum contemtu rejectos privati delegatos, offenſæ majoris & armorum incitamentum fuiſſe. Etenim Duvenvordius, injuriæ

atrocitate exacerbatus, totus ira excanduit, collectaque Hollandorum manu, Trajectinum inrupit agrum, ac Geinii pagum incendit, & ſpoliavit, Diverſa è parte Trajectini, domo profecti, Neovardiam ſimili clade involverunt: quod impulit Duvenvordium, majorem agere delectum opera opibuſque conſanguineorum, & ſuis. Cumque jam juſti exercitus ſpeciem haberet, iterato hoſtilem agrum incurrit, vel cum opum lapſu vindicaturus injuriam; & ſuperato monte Haimonis, Horſtum caſtellum milite cinxit, oppugnavitque. Cæterum virtus Wilhelmi Bocſtelii, qui præſidebat, quamvis magnam jam loci partem ignitis corrupiſſet miſſilibus, eo conatu deſiſtere compulit. Tulli inde caſtra metatur, opperturus Zelandorum, quæ jam in itinere nunciabantur, ſubſidia. Simul & accurſu Geldrorum firmabat copias: & Brabantos, Flandroſque, ſollicitabat, ne ſuſcepta ſemel arma, ſtulte & cum dedecore cogeretur deponere. Iam & Trajectini undique convolabant, parabantque de ſumma rerum cum Duvenvordio decernere, ipſo Antiſtite Dieſtano, laceſſitum privati armis imperium indignante. Interea ad Comitem, quem Hannonia attinebat, fama pervenit, graviſſimum inſtare Hollandos Trajectinoſque inter diſcrimen, & alterutros exitio proximos, ni, ſua auctoritate, armatas in mutuam perniciem dextras dirimeret. Compulit hoc maximis petere itineribus Dordrechtum, & inde caſtra Duvenvordii: quem multum ex eo frementem arma juſſit deponere, & litem ſui facere arbitrii. Vbi paruit ille, ad Antiſtitem profectus, recepta in ſe Giſelberti vindicta, cum eo convenit, uti, pro expianda cæde, Trajectini certa militum manu ſua in caſtra, urgente neceſſitate, militatum venirent. Ita & Duvenvordii, & ſuo honori conſuluit; reductique domum milites, priuſquam mutuo ſanguine manus temeraſſent. Interea Mechlinienſes miſſos à Flandro judices urbe expulerunt, non citra contemtum: cumque ex eo meritas paveſcerent pœnas, ſe ſuaque in manus Brabanti tradidere. Et ſuſcepit ille rebel-

Digitized by Google

rebellium patrocinium, quando ſe, eorum nomine, clientem profiteretur Antiſtitis. Quod ubi Flandro compertum, in iras exarſit, & principum plurimos Brabanto infeſtos, ad communem vindictam, & armorum ſocietatem invitavit. Kalendis Decembribus conjuravere Valentianis Ioannes Rex Bohemiæ, Walramus Archiepiſcopus Colonienſis, Adolphus Antiſtes Leodicenſium, Ludovicus Flandriæ, Renaldus Geldriæ, Ioannes Namurci, & Wilhelmus Iuliaci, Sueſſionenſium & Loſſenſium Comites, ac dynaſta Falcobergenſis. Acceſſit his Wilhelmus Comes, memoria rupti à Brabanto jurisjurandi, quo filium filiæ deſponderat. Hollandi tamen, Zelandique, abſtinuiſſe armis videntur, Brabanto, quam Flandro, proniores. Nec facile illi alienis in gratiam Comitis ſe bellis involvebant. Gallus, Brabanto addictior, Navarrenorum Regem ſubſidio miſit: qui, itinere per Hannoniam facto, fruſtra inhibere conante Wilhelmo, caſtra cum Brabanto junxit. Cum agrorum jactura utrimque certatum; nunquam de ſumma rerum. Nec bellum diu viguit, interponente auctoritatem ſuam Gallorum Rege; qui hiſce conditionibus quarto & triceſimo ſæculi hujus anno litem compoſuit: Ioannes, Brabantiæ Ducis filius, (mortua etenim jam Regis filia erat) Eliſabetham Comitis Wilhelmi; Oſtervandius, Ioannam, Ducis filiam, uxorem caperet: Margarita, Brabanto genita, Flandri filio Ludovico, tum trienni; & altera ejuſdem, Renaldo Geldro; hujus ſoror, Henrico ſecundò genito Ducis addiceretur: Rodam, quam expugnarat, Iuliacenſis obtineret, Tiliam Geldrus: Falcobergenſes in integram ſua poſſiderent: pro impenſis bello factis Iuliacenſi, Bohemo, & Leodicenſium Antiſtiti, certam æris ſummam Dux refunderet: Mechlinia Regis præſidio teneretur, donec lis diremta foret. Sed hoc Mejero non notatum; qui tradit, pronunciatum à Rege, ſi Brabantus ratam nollet Mechliniæ venditionem, Flandro annumeraret quingentos ſupra ſeptem & octoginta millia coronatorum.

CIƆCCC XXXIV.

torum. Per idem tempus parum abfuit, quin recrudeſcerent Wilhelmum inter, & Brabantiæ Ducem, arma. Ioannes toparcha Hueſdanus, è conſilio Ioannis Elsbautii, Cranenduncæ toparchæ, vendiderat Brabantiæ Duci, agri oppidique poſt fatum hæreditatem; multum obſtante Ioanne Drongelio, ejuſdem avunculo, haud dubio pro Sophia, unica ejus filia, & hærede, ſollicito, quam Saſtebergenſis Comes uxorem habebat. Nihilominus, ubi ceſſiſſet fato Ioannes Hueſdanus, invadere opes Brabantiæ Dux, & poſtulantem Bruxellis hæreditatem, uxoris nomine, Saſtebergenſem audire recuſavit. Is repulſam paſſus, Wilhelmum adit Comitem, & hortatur, bona quondam iniquiſſimo tempore ablata armis vindicaret. Ius ſuum ſe ipſi venditurum, quo ſummo infimoque frueretur. De altero conſtare ex Cliviæ Comitis cum Florentio contractu; de hoc ſatis pro documento futurum, Saſtebergianum jus ipſi delatum. Conſenſit Comes, & ilico ipſum Saſtenbergium armata manu Brabantiam petere juſſit, cunctaque populando vaſta reddere. Turnohouta tenus Brabanti injuriis patuere, nullo ſe movente. Nec audebant infelicia rurſum arma Hollandis inferre. Igitur ad artes converſus Dux, Saſtebergenſem placare ſtatuit, cujus nomine Hollandi militabant; eumque evocatum, poſt varios conventus, conciliat ſibi, trecentos regales aureos, è Silvæducenſi ærario in ſingulos annos adſignando. Manſit tamen cum Comite lis; ſed utrimque armis abſtinuere. Qua tempeſtate, tertio Novembris, mare ſuperfuſum aggeribus, Hollandos, Zelandos, Flandros, Friſioſque magna clade affecit: everſi pagi, & ſalo abſorpti, immenſa cum hominum, pecorumque ſtrage. Præceſſerant tempeſtatem tonitrua fulguraque, qualia illo ævo hominum viderat, aut audierat nemo. Ibat in hiemem annus, cum, auctore Ioanne Bohemorum Rege, repetita, adverſum Chriſtianæ religionis hoſtes, Lithuanica expeditio, ſocium ſe ei, præter Oſtervandium aliosque Principum, addente Hungarorum Rege Carolo. Vratiſlaviæ

Digitized by Google

ſlaviæ cuncti convenerunt. Hic dum, more Principum, Hungarus cum Oſtervandio, temporis terendi gratia, alea ludit, evenit illum ſexcentos perdere florenos, indeque adeo perturbari, ut commotioris animi ſigna ederet. Quod ubi Oſtervandio animadverſum, non potuit ſe continere, quin in hæc erumperet verba: *Sereniſſime Rex, equidem mirari ſatis nequeo, tantæ potentiæ Principem, cujus & terra auri venis abundare fertur, tam ægre ferre tantilli æris amiſſionem. Me quod attinet, in tuo omniumque conſpectu oſtendam, quod nō ditari, acquiſitis alea nummis, ſed lubenti eos animo pauperibus erogare velim.* His dictis, in publicum projecit; magis indignante tum Carolo; quando & magnanimitate ſe victum puderet. Offenſior tamen ex eo tempore Oſtervandio: ſed preſſit prudenter iram. Cumque cuncta tantæ expeditioni neceſſaria forent comportata; Boruſſiam petiere; eaque emenſa, ad Lithuaniæ fines conſederunt, repertis præter opinionem fluminibus, paludibuſque, necdum adeo glacie ſolidatis, ut armatos tranſmitterent. Id compulit, infecta re domum repetere, fruſtra tot laboribus & ſumtibus inſumtis: exſtructum tamen prius in Boruſſorum, Lithuanorumque finibus validiſſimum caſtellum, excurſionibus hoſtium impediendis. Occœperat jam annus, qui Chriſtianis poſt mille trecentos quintus & trigeſimus numerabatur; quo non alter celebrior turbati ubique terrarum orbis, origine graviſſimi Gallos Angloſque inter belli; quo cuncti Principes Chriſtiani in partes abiere. Incentor diſcordiæ Robertus Atrebas, Namurco ad Anglum profugus: cauſſa armorum de regno Francico. Exſtincto namque Carolo Pulchro, de ſucceſſore, ut relatum, inter Gallorum proceres contentio erat. Eduardus Rex, Iſabella ſorore ejus ortus, juſtum ſe ferre hæredem; miſſaque legatione, Regni petere diadema non dubitarat; contrà nitente Philippo Valeſio, Caroli patruele, lege Salica jus ſuum firmante, qua præcluſam omnem feminis ad regnum viam demonſtrabat. Nuper etiam Pulchri domum, quamvis ſuperſtite defuncti Regis filia,

CIↃCCC. XXXV.

ad imperium promotam dictitabat. Et prævaluit tum ille, multum ad id conferente Roberto Atrebate; cujus tum maxima in Galliis auctoritas erat. At poſtquam, in non diſſimili lite cum Mathilde amita de Comitatu Atrebatenſi; ſecundum illam Pariſienſe concilium pronunciaſſet; iratus, ut relatum, primo Brabantum, inde Namurceum, hinc Anglum fremens petiit; auctorque repente factus, injuſtam legem Salicam ferro reſcindendam. Eduardus, qui ante latæ à proceribus ſententiæ acquieſcere viſus erat, in continenti, Atrebatis inſtinctu, mutatus, ſpem & animum arripuit, bellumque Gallicum decrevit. Quod priuſquam aggrederetur, autorem ejus ſecutus, qui jam unus cuncta poterat, Lincolnienſium Antiſtitem ad Wilhelmum Comitem ſocerum miſit; quo illius opera aditus claſſe pateret: facilius etenim Galli è Belgica peti poſſunt. Comes à Philippo læſus haud gravate fœderis dextram dedit: & auctor Lincolnienſi factus, cæteros etiam Belgas legationibus fatigaret, grande momentum partibus allaturos, & pronos & adverſos. Hoc citra expreſſum Regis mandatum non auſus Lincolnienſis, abiit. Sed mox Anglia redux, Brabantum, Geldrum, Iuliacenſem affinem, (duxerat enim is alteram Comitis filiam, cui nomen Ioannæ erat) & Colonienſem in partes pertraxit; ſpondente Valentianis, ubi convenerant, Brabanto, cum Rex appuliſſet, mille ſe equites ſubſidio adducturum. Reſtabant Flandri; quorum nobilitas & magiſtratus, Comiti ſuo Ludovico, Francis addicto; ſed infimus quiſque, cui è lanificio quæſtus, Anglo, favebat. Verũ
cIↃcccxxxvi. & illi metu Comitis in verba Philippi jurare compelluntur. At poſtquam ab Eduardo tranſvehi lanam interdictum, ceſſantibus operis, fremere cuncti, & inviti principis imperio parebant. Vnde mox rebellio; quæ inſequenti anno, qui ſæculi hujus ſextus & triceſimus numerabatur, erupit; quando Angli, cum Waltero Manniaçenſi, in Cadſandiam adpulſi, Guidonem, nothum Ludovici Flandriæ Comitis fratrem, prœlio ſuperaſſent, ipſo capto,

& tribus

& tribus Flandrorum millibus interemtis. Primi Gandavenſes, ductu Iacobi Arteveldæ, è Fullonum grege uno, inſurrexere. Secuti hos Brugenſes, & mox tota Flandria. Exactus Comes, pulſa nobilitas, magiſtratus, quotquot denique illius partium: ſolus Artevelda conjurationis caput dominabatur, omnemque rempublicam rectoris nomine in ſe recepit; cum jam annus, poſt mille trecentos, ſeptimus & triceſimus ageretur; qui Hollandis, fato Wilhelmi Comitis, grave vulnus attulit. Laborarat jam diu arthritico morbo, cum ultimæ quaſi horæ certus, vocatum ad ſe filium in hunc fere modum allocutus fertur: *Lingua quamvis vix officii potente, ante ſæpe monita in memoriam revocare, dilecte fili, ardet animus. Sentio jamjam imminentem corpuſculi hujus labem; quæ urget, admonetque, tibi ut conſulam, quo pacto rerum tuarum certa & quieta tibi manſura ſit poſſeſſio. Tres & triginta exacti in principatu anni, & modum imperandi docuere, & ſubditorum noſcere naturam; quo mihi promtius fidem habere debes. Magnum onus curandæ Reipublicæ incumbet cervicibus tuis; cui par futurus, ultima ſi parentis verba, imo preces, animo admiſeris. Crede fili, non naſcimur ſapientes, ſed ſimus; & alii longiore ad eam, alii breviore tendunt via: ſed illa prætermiſſa, hanc tu ingrediaris. Placuit omnipotenti Deo, te ad hoc faſtigii producere, ut exemplo cunctis ad virtutem graſſantibus, terrori malis ſores. A tui igitur ipſius conſideratione incipere oportet, ſi regere velis; reperturus, quid ferre, aut non valeant ſubditi tales, quos propria voluntas obnoxios, parenteſque reddit. Faſtidit dominum libera gens, & pro tyranno habet omnem majoris potentiæ avidum. Conſilio trahuntur, imperio obſiſtunt. Onerum, quæ imponuntur, impatientes; neceſſaria ſponte conferunt. Nec opus virga nobili equo. Petieram aliquando, neceſſitatem magnam ementitus, quaternos de ſingulis jugeribus obolos: duplum contulerunt: &, ſi pro imperio egiſſem, non mihi juſſa veniſſent. Noli proin vel minimi iram provocare. Inimicorum per ſe ſatis erit inter virtutis hoſtem populum. Devincire beneficiis non offenſos, facile; in gratiam, quos læſeris, reducere, operoſum, & periculoſum eſt. Lenta etenim ingenia, ut tarde oderunt; ita, ubi ſemel iræ ſe tradidere, offenſam diu recondunt,*

CIↃCCC. XXXVII.

dunt, quo acrius mox ardeant. In gratiam reductos putes; ſimulant tamen. Senſi, fili, meo, & Reipublicæ damno, paucos venia corrigi. Quare ita jus adminiſtrandum, ut læſiſſe ſe, non læſi videantur. Nec minor Principi inde gloria, quam ſtrenue ſi rem foris gereret: illud te à tuis, hoc ab hoſtibus incolumem reddit. Peperere alii laudem ſibi armis; alii tranquilla pace Republica adminiſtranda. Et quanto plus unius innoxij ſanguini parcere, quam mille ſontes pœna afficere juſta: tantum bello pacem anteponendam ſemper credidi: ita tamen, ut & honori conſulatur, & bono pariter publico. Bello intervertuntur tuæ, ſubditorumque opes; pace augentur. Bello, adſperſos ſanguine, aut laceros vulneribus, amicos; pace integros vides. Inde variorum querelæ ſuos lamentantium; hinc omnium Principem laudantium vota exaudiuntur. Cæterum, ſi vel pacem velles, non patiuntur hoſtes: eoque tantum hæc attuli, ne non neceſſario te bello involvas, & quietem tuam, ſubditorumq́, ſtulte turbes: novi etenim animum tuum plane Martium. Sed vide, qualibus imperes; qui promti ad arma quidem, ſed faſtidiunt bella, quæ ex arbitrio Principum pro inani gloria ſumuntur. Quod quiſque probat, lubens ſuſcipit; & probabunt, quando Imperatorem probatum habent. Vidimus, in ærarij defectu, ſuis ſumtibus militaſſe; vidimus, indigne latum, iniquas pacis, quamvis ſumma in neceſſitate conditiones cum hoſtibus initas. Animus erectus non patitur contumeliam, & mortem ignominiæ antehabet. Cum talibus tibi agendum erit: nam ſervitutem non pati, nec ſummam libertatem poſſunt. Proin & cavendum tibi, ne ad licentiam patefacias viam. Adulantium gregem procul à te ſegrega: quos plurimos es habituros, ſi aurem alterutram præbueris. Sed præcludes iis, ſi modū prius ſtatueris tibi. Multi enim ſecundis rebus eriguntur, propriamque laudem non ab aliis, ſed à ſe ipſis extolli gaudent; quæ tamen ab auctore ſuppreſſa, clarior plerumque erumpit, & vitam accipit, quando tegitur. Plurimi ingens decus partum, nimio amore ſui ipſius, inlaudatum poſteritati effecerunt. Sit tua virtute ſtabilita civium ſalus, & ruina averſa: credet nemo, aut invitus, quando fautorem non alium, quam auctorem, habet. Moderate igitur fer fortunam, & ita vive, tanquam omnium judiciis expoſitum oportet. Altiſſima enim quæque in oculos maxime incurrunt. Hæc, è terra migrans, tibi, fili, dicta volui; ut, quam

alij longa

Digitized by Google

alij longa dominatione prudentiam adepti, tibi in ipſis imperii foret incunabulis. Septimo Comes Iunii die, tertio & trigeſimo principatus anno, vita functus eſt, magno ſui deſiderio poſteris relicto. Quippē iis erat moribus, ut inculpatæ vitæ exemplar haberetur; nihilque ipſe gravius putaret, quam miſeros non defendere. Exſtat juſtitiæ ejus memorabile, & ſimul ſeveritatis exemplum; quod ſexto, ſupra trigeſimum, ſæculi hujus anno contigit, cum jam lectulo infirmus attineretur. Meridionalis Hollandiæ præfectus vaccā, deſiderio formæ præclaræ accenſus, poſtquam permutationem ejus ſæpius à ruſtico paupere poſtulaſſet, repulſamque ſemper foret paſſus; invito domino, ſuppoſita altera, abſtulerat; multum quamvis obteſtanti, tantum ex ea indies lactis ſibi, quantum ſatis integræ eſſet ſuſtentandæ familiæ. Queſtum id Comiti Valentianas ruſticus venit. Evocatur ſtatim præfectus, & ſe ſiſtere, una cum cognato ſuo, prætore Dordrechtano, jubetur. Perculit hoc prætorem, & ad præfectum converſus, num criminis ſibi ullius conſcius foret, interrogavit. Illo de vacca confitente, nihil ſuſpicantes mali, Comitis obſequuntur mandato, & itineri ſe accingunt. Solus prætor, ut convenerat, aulam Wilhelmi, & cubiculum intrat, vultum ut notaret. Sed illo perfunctorie ſalutato, rogat protinus Comes, præfectus an adeſſet. Accitur ſtatim, & intromiſſum cunctatur, *utrum eſſet à ſe meridionali Hollandiæ præfectus.* Confitentem hoc, porro adgreditur: *Cur igitur*, inquit, *tu, quem juris eſſe antiſtitem volui, ut juxta æquum bonumque cuncta adminiſtrares, noxios damnares, inſontes abſolveres; fures, omneſque adeo, qui aliena domino invito auferrent, punires; ipſe nefarium auſus es committere facinus, pauperi, cui ſubventum in penuria oportuerat, adimendo vaccam? Pudeat, non potuiſſe legis gnarum, rapaces continere manus, & nihil habenti, hoc pene omne, quod habebat, adimere.* Simul, juſſo introduci ruſtico, illico horrore magno confudit. Cumque vultum collegiſſet; ſpem inter & metum, aliam à ſe ſuppoſitam dicere, poſtquam diu fruſtra mutationem ſollicitaſſet. At Comes: *invito*

Digitized by Google

tamen id factum domino; ſi etenim ex utriuſque fuiſſet voluntate, non hodie te inter, & illum, jus dicere cogerer, ſimulque arbitri & judicis officio fungi. Nunc igitur, quando tuum ſcelus eam mihi impoſuit neceſsitatem, furti te reum ago; proque expiando facinore commiſſo, centum ruſtico tuis è bonis coronatos adſigno aureos, quos, domum reverſus, prætor pauperi adnumerabit. Vix hæc audierat præfectus, cum tanquam omni pœna liberatus, hilarior, ingentes ageret Comiti gratias, pro clementi adeo ſententia. Verum Wilhelmus, cubiculo excedere juſſo prætore, *ruſtico*, inquit, *jam ſatisfactum; non mihi, cujus tu ſcelere tuo maculaſti honorem*: & ſtatim, advocato carnifice, gladium, propria manu denudatum, ipſi tradidit, & capitis ſupplicio afficere, ſe inſpectante, juſſit. Hoc patrato; revocatur prætor, jubeturque cum cadavere domum remeare, & ruſtico ſatisfacere. Sunt, qui credant, Comitem ſævitiei notam hoc facinore inuſſiſſe ſibi: ſed contra videtur prudentioribus: & merito, cum gravius peccetur ab illis, qui ipſi juri dicendo ſunt præpoſiti, & punienda in iis ſint, quæ aliis condonari poſſunt. Plura & alia, tum juſtitiam, tum bonitatem Comitis comprobantia, circumferuntur. Nos hoc uno contenti ſumus teſtimonio, *Boni* cognomentum à poſteris meruiſſe. Vxor ejus Ioanna, quo addictius Deo, quod reliquum vitæ erat, impenderet, Fontanellenſe adiit cœnobium; in quo & conſenuit.

FINIS LIBRI OCTAVI.

MAT-

Digitized by Google

MATTHÆI VOSSII, ANNALIUM HOLLANDIÆ, ZELANDIÆQVE,

LIBER NONVS.

SEpulto Comite, filio cognomini, WILHELMO, publici cura demandatur. Vxorem habebat Ioannam, Ioannis, ejus nominis tertii, Brabantiæ Ducis filiam, ſterilem; ut inde colligitur, quod poſtmodo nupta Wenceſlao Luxenburgico, nullius prolis parens exſtiterit. Principatus exordio, ſumſit in gratiam affinis Eduardi arma, quia pater opem addixerat: & illi, inſequenti anno, de modo invadendi Gallias conſultanti, adfuit animo, cIↄccc xxxviii.
robore, & conſilio: plurimoſque, ſua auctoritate, Germaniæ inferioris Principes, Anglorum partibus adjunxit. Ipſum etiam, adjutante affini Wilhelmo Iuliacenſi, Imperatorem Ludovicum cenſuit tentandum; quem à Gallo læſum, ob retentas imperii ante occupatas civitates, facilius arma juncturum rebatur. Nec defuit conaminibus felix exitus, miſſo Iuliacenſi; qui Imperatorem, & Anglum, æqua affinitate contingebat. Vnde major ſpes perſuadendæ ſocietatis. Cæſar, multis de cauſſis, everſum cupiens Gallum, conſenſit ilico, & Eduardum imperii vicarium deſignavit. Miſſæ etiam ab ipſo ad Hollandos, Zelandoſque literæ; quis eos hortaretur, una adverſum Francos Comiti ire ſubſidio: ſed illi, ſueti jam ſummo otio, & tranquillitate, tranſi-

gere vitam; detrectavere longinquam militiam: parvi ejus pro imperio conſcriptas æſtimantes, cui obnoxii non erant. Aliqui tamen è nobilitate, amore Comitis, & fortitudinis oſtentandæ ergo, opem tulere. Veruntamen publica id non factum auctoritate; quia nullos, niſi Hannonios, nominari ductores reperias. Interea ſedulo agere Philippus, excire undique militem, & evocare cum Bohemo, Scotorum & Navarræorum Reges; qui ſocia arma promiſerant. Priuſquam tamen inter ſe Reges committerentur, placuit de conditionibus agi. Gallus Rotomagenſium, Lingonum, atque Bellovacorum Epiſcopos; Anglus Comitem Wilhelmum, ac Cantuarienſiũ, & Lincolnienſium Antiſtites miſit. At irritus is fuit conatus, hoſtiliaque reſumpta. Et quo videretur cauſſa Imperii ſuſcepta, Cameracum Eduardus, cIↄccc-xxxix. anno ſæculi hujus nono & triceſimo, obſidio circumvenit. Vrbs valida, & cui à neceſſariis ad tolerandã vim hoſtiũ proviſum, haud facile expugnari poterat: quare ſublatis caſtris, ne alias interea omitteret opportunitates, Galliam infeſto petit exercitu. Comes Wilhelmus, cujus multum intererat, civitatem finibus propinquam, & agris incubantem, capi, male affectus, cum ſuis, & Comite Namurcenſi, domum remeavit. *Se auctore vicarium deſignatum Regem, ut adempta imperio loca recuperarentur: nunc illum, de amicorum ſalute parum ſollicitum, id agere, quo tandem ad voti ſui ſummam, ſubjugandi Gallias, pervenire poſſet. Normanniam nunc cogitari, manifeſtis è ſignis, & noviſſimo hoc experimento facile comprobari, ut citra Belgarum vires, in facili trajectu, arma inferret.* Peronam prope Angli Gallique conſidebant, aciem tentaturi; niſi deterritus à Roberto Siculo, ſummo tum aſtrologo (dictitante ex aſtris prævifam ſibi Gallorum cladem) Philippus ſuperſedendum ſibi certamini putaſſet. Tantum valet in animis ſæpe hominum vana ſuperſtitio. Ita, infecta re, in Brabantiam Eduardus remeavit; ubi evocatum Iacobum Arteveldam, Flandrorum ductorem, conciliavit ſibi; vafro ad id ejuſdem uſus conſilio. Iurejurando ſe Gallo-

Digitized by Google

Gallorum Regi obſtrinxerant Flandri, nunquam adverſus eum ſe arma ſumturos. Quo ut ſolverentur, cũ de ſucceſſione certaretur, placuit, Eduardum Franciæ Regis titulum, & gentis inſignia, ſuis miſcere. Ita Flandris impoſitum; &, omiſſo Philippo, in verba Eduardi juravere. Sub finem anni in Angliam profecto Rege, Gallus, aliquanta militum manu, Hannoniam depopulatur; Aſperam oppidulum, & ſimul Divi Vedaſti monaſterium, incendit. Comes, qui jam à ſoluto Cameraci obſidio, non alieno erga Gallorum Regem animo fuerat, ubi ſua uri vaſtarique percepit, ſocio Falcobergenſi, cladem rependit, & Aubentum in Teraſchia expugnat: plurimi nobilium capti, occiſi alii, & duo millia civium, qui arma ſumſerant, neci data. Oppido flamma injecta. Segniacum minus, Mauborium, Fontaniacum, Aubecellam, Segniacum majus, nec non quadraginta pagos, pari clade involvit. Quando Gallus, per Ioannam ſororem, Comitis ſimul & Imperatricis matrem, Ludovicum Imperatorem, ſpe facta conciliandi eum Pontifici, à quo diris devotus erat, ab Anglorum ſocietate pertraxit. Idem apud Flandros inſequenti an- ↀCCCXL.
no conatus operam perdidit, exſtimulante eos ad fidem Eduardo ſervandam Artevelda. Quare iratus, Pontificem per literas adiit; impetravitque, ſacris iis interdiceretur. Cæterum Anglorum Rex, inductis è ſua gente ſacerdotibus, confirmavit jam concuſſum inopinata re vulgus; & edicta Pontificis ludibrio fuere. Dum hæc geruntur, Ioannes Dieſtanus, Trajectinorum Antiſtes, fato ſuo fungitur, oppreſſam ære alieno Rempublicam, Tranſiſulanam ditionem Geldro, Vredelandiam Comiti oppignoratas, relinquens. Certamen inter Patres de ſucceſſore obortum movit Comitem Trajectum contendere, & Ioannem Arkelium, virum prudentia ſingulari, & armis inluſtrem, ejus gentis primoribus commendare. Obſtabat Geldrus, pro Ioanne Bronchorſtio laborans. Sed Pontifex, cui jam ex voto obtigerat, imperium & Trajectina in urbe exercere, utroque

rejecto, Nicolaum Caputium ſucceſſorem deſignavit. Verſa exin Comitis cura ad reducendos in gratiam affines, Ludovicum Imperatorem, & Eduardum Anglorum Regem; commeare inter utroſque, & cuncta moliri. Speculatus id Ioannes Normannorum Dux, Gallorum Regis filius, Hannoniam invadit, & quicquid Quercetum & Valentianas inter, nulla non belli clade pervaſtat. Montaco, virtute Richardi Seneſchalli, depulſus, Melbodium petit; à cujus oppugnatione, erumpendo, Valerius Falcomontanus deterruit. Quercetum natura loci, & munimenta, defenderunt. Trici obſidium ſolvere adventantis Seneſchalli metu compulſus, Schaldonerium aggreditur; quod captum, & poſtulatu Cameracenſium funditus everſum. Cœnobium Fontanellenſe vaſtatum ac direptum; quamvis Regis Gallorum ſoror Ioanna, Comitis mater, ibi degeret. Ægre tamen id fuit Ioanni; qui, inquiſitione facta, invaſores neci dedit. Circumventum dein Thuinum; quod dum oppugnant, advolat quam maximis copiis Comes Wilhelmus; quos ex Hollandis, Zelandiſque, & Hannoniis conſcripſerat. Huic ſtatim ſubſidio venere, præter Brabantiæ & Geldriæ Duces, Comes Namurcenſium, & Iacobus Artevelda, ſexaginta Flandrorum millia una trahens. Caſtra ad ripam Scaldis, cujus adverſam hoſtis tenebat, locata: & illi Oſtrovandiam; conjurati, Cameracenſium fœde agrum vaſtabant. Peronæ agebat Gallorum Rex Philippus, cum conventu fœderatorum percepto, diſcrimini paratus, ſuorum in caſtra contenderet. Aciem tamen non auſum, poſterorum memoriæ reliquit eorum temporum Hoecſemius; quamvis equitum millia triginta ipſius in caſtris numerarentur. Wilhelmus Comes, avidiſſimus prœlii, & gloriæ, citra moram clamitabat ſigna eſſe conferenda: idem hortabatur Artevelda. Solus Brabantiæ Dux cæteros deterruit, ne abſente Eduardo manus confererentur. *Hoc*, ajebat, *in exercitu conveniſſe, quidquid fere Belgii virium; cujus cladem pernicies haud dubiè cunctorum ſubſecutura foret, dum*

non alia

Digitized by Google

non alia par in procinctu manus, quæ ſiſtere victoris poſſent curſum. Vnde vires reparaturi, quem locum, quæ devia petituri ad delectus agendos, cum diviſis copiis pervaderent agros, & obvia quæque vaſtarent? Nihil invium armatis; quocumque fugerent, & hoſtem ſequi poſſe. Satis ſe putare profectum comprimendis ante ferocibus. Ita, & cæteris in opinionem concedentibus, duæ præſtantiſſimæ acies, numero pene pares, abſque prœlio diſceſſere, cum per quatuor &decem dies caſtraRegiis ſtativis adverſa habuiſſent,ut flumine Scaldi tantum dirimerentur. Artevelda Flandriam repetiit, ſpeculaturus Nortmannorũ conamina; qui octoginta & trecentarũ navium claſſe, à Blancoberga Sluſam uſque, maria inſidebant, ne iterato in Belgicam trajiceret Eduardus. Cæterum ille, quanquam & militum,& navium multitudine inferior, eas adortus, poſt acre diutinumque certamen,in fugam compulit, adiutus à Flandris, qui in ſtationibus erant. Centum & quadraginta Gallorum naves captæ; inter quas & magna illa,cui Chriſtophori nomen inditum erat,quam triennio ante,cum quatuor aliis,haud longe Middelburgo,ad Zelandicum littus debellarant. Gallorum triginta millia,tam ferro, quam aquis, hauſta ferunt. Anglorum quatuor millia cecidere: unde neque illis incruentam fuiſſe victoriam liquet. Rex ipſe,vulnere gravis,ad uxorem Philippam Gandavum pervenit; quæ puerpera filium enixa, cui nomen Ioannis, & à natali ſolo Gandavenſis inditum fuit. Aliquot ibi diebus ſubſtitit Rex: unde Vilvordiam profectus ad conventum, quem indixerat, conjuratorum. Vbi, poſt commune fœdus, & alterum ictum, inter Brabantos, Hannonios, & Flandros; ternæque illæ ditiones, in unum quaſi Reipublicæ corpus coaluerunt: omniaque ex eo tempore, donec ſocia cum Anglo arma duravere, concordibus animis,conſiliiſque fecerunt. His peractis, adulta jam æſtate, anni tempus ad bellum gerendum vocavit; & motis copiis, Tornacum, civitatem operibus valide munitam, & Flandrorum ob id finibus moleſtam, viris,

viris, armiſque, diſcretis caſtris cinxere: Eduardus, ante Sancti Martini portam; Brabantus, ad Valentianenſem. Comes cum Hollandis, Zelandis, & Hannoniis, medius inter Regem, & Ducem; Artevelda, ad portam, cui Sancti fontis vocabulum, conſedit. Geldro, Iuliacenſi, cæteriſque, qui Germanorum nomine veniebant, adſignatum urbis latus, quod Hannonios ſpectat. Ita clauſa undique urbe, diverſæ ſingulorum curæ. Philippus Rex, cujus multum intererat, ne civitas potens hoſtium in manus veniret, prope Ariam, Arteſiæ oppidum, contrahebat copias. Ibi illi literæ ab Anglo traduntur, quis poſtularet, quo bellum citra alterutrius populi ruinam finiri poſſet, unum è tribus ſeligeret, vel ſingulari certamine ſecum, vel centenis, vel univerſis ſimul copiis concurrere. Indigne tulit Philippus, præſcribi ab hoſte leges; reſponditque, ſuo ſe arbitratu bellum geſturum; ſtatimque, quo propior Tornacenſibus foret, Bovinas movit. Hac ſpe lapſus Eduardus, omnes cogitationes ad urbis oppugnationem vertit, multumque crebris velitationibus fatigare obſeſſos: interdum & adſultare vallo. Plures & ipſi, & Principum aliis, in ſtativis milites erant, quam obſidioni opus. Quare diſcretis ſæpe exercitibus, hoſtilem agrum ivere populatū, ac ſimul frumentatum, ne cœpta moraretur penuria. Comes caſtris egreſſus, Siclinum in Melanthiſio diripuit, incenditque; pluriméſque circumjacentes pagos militibus prædæ dedit. * Non ſimilis patrui ejus Ioannis fortuna fuit; qui Galliam cum Falcobergenſi, aliiſque, irrumpens, ab Engelberto Leodicenſium tum ductore, poſtea Epiſcopo, & Luxeburgenſibus, cæſus, fugatuſque, non ſine manifeſto ſui periculo fuit, Hannoniorum plurimis trucidatis. Modico dein temporis ſpatio interlapſo, dum alii diverſa moliuntur, etiam Mortania à Comite improſpere tentata: quam tribus locis oppugnatam, poſt bidui obſidium, non parva prius clade affectus, deſerere adactus eſt. Reverſum in caſtris ſegnem conſidere, non permiſerunt nuncii, Haſnonia queſtum ad ipſum miſſi,

Digitized by Google

miſſi, Gallos, qui Elnonam, & Sancti Amandi ſimul fanum inſidebant, domo profectos, ſe, oppidumque ſimul populatos. Qua de cauſſa, miſſo ad Valentianenſes nuncio, qui & priori expeditioni interfuerant, præfinita die cum copiis ante Elnonam, Sanctique Amandi fanum, præſto eſſe juſſit. Paruere illi, & ut oppidum in conſpectu fuit, non exſpectato Comite, oppugnationem auſi, re male geſta domum dilapſi ſunt. Poſtera die cum Hollandis, Zelandis, aliiſque, adventare Comes; & explicare copias. Quod ubi Carcaſſano, qui oppido præſidebat, compertum; oſtentare pericula ſuis, ſi locum minus validum, & integris hoſtium copiis imparem, defenſum vellent. Vbi illis animum vidit, inclinatione tanta lætus, & ipſe gloriæ avidior, ſpem rapuit. Primo Wilhelmi impetu ceſſere, quæ ante portam erant opera: mox illam, & vallum, ſcindere aggreſſus, parum ab exitio fuit; capite & ipſius, patruique Iohannis, in pugnæ ardore ſaxo miſere afflicto. Non tamen ſivit pudor inultum permittere facinus, ipſo vulnere ad vindictam extimulante. Igitur à milite edoctus, id latus urbis, quia perangusta ad urbem ducebat via, impeti fruſtra; alterum adoritur, ubi fanum Sancti Amandi vallum prætexit; ſtatimque exciſis altiſſimis quercubus, more Romano arietes aptari (quorum ſinguli à viginti aut triginta hominibus regerentur,) eorumque acumine coagmenta lapidum ſolvi juſſit. Quo celeriter peracto, multis ſimul locis murum perruperunt. Tum atrox rurſum certamen ortum: nam & Carcaſſanus ſuos ad omnem eventum in monaſterio paratos tenuerat: ſed vicit tandem fortuna Wilhelmi, Carcaſſano, & circa eum ducentis militum occiſis, pugna egregia & laude digna pro numero prius edita, ut obruti merito videantur. Inde promiſcua cædes facta; urbemque inrumpentes, cunctos civium trucidaverunt. Præda militum fuit: tectis flamma à Valentianenſibus injecta; qui, percepto urbis caſu, iter converterant. Deleta Elnona, Orchiam petit Comes; captamque ſpoliat, &

N incendit:

Digitized by Google

incendit: ſimili etiam ruina Landam, & Chellam, exigua oppida, plurimoſque pagos, involvit. Marcianenſes, cum monaſterii Divæ Rictrudis habitatoribus, ſe defendere auſi, occiſo præfecto Aimerico Vernallo, captis monachis, raptis ſacris opibus, miſerum in modum mulctati ſunt. His geſtis à Comite, in caſtra reverſum. Interea Galli Robertum Atrebatem cum Flandris egregia pugna ad Sanctum Audomarum vicere; nec non bis mille milites, fruſtra inhibere conantibus fœderatis, urbi Tornacenſium immiſerunt: qui indies tamen magis magiſque ad incitas redigebantur; quantoque major multitudo in urbe, eo minus extrahi frumentum poterat; cujus brevi defectus metuebatur. Gnarum id Philippo. Itaque cum armis dimovere hoſtes non poſſet; ſubornat occulte ſororem Ioannam, Comitis, eandemque Philippæ Reginæ matrem, ut pace, vel induciis, conaretur arma tollere. Illa, quæ à mariti fato, tanquam ſecluſa, vitæ hujus faſtidio, ſupremo tantum Numini, omiſſis mundi illecebris, divina meditando, in Fontanellenſi cœnobio vivebat, pietate mota, ſuſcepit provinciam, & in caſtra profecta, quando flectere minus Eduardum poſſet, Belgarum Principes adgreditur; & imprimis Brabantum, Iuliacenſem, qui alteram filiam uxorem habebat, & affinem Bellimontium, de filio haud dubio certa, non illum alieno erga avunculum animo. Tantum muliebres valuere blanditiæ, ut Eſplotini dies conventui decerneretur. Miſſi eo à Rege Gallo, Carolus Bohemiæ Regis filius, ejuſdemque nominis frater Alenzonii Comes, Epiſcopus Leodicenſis, Comes Flandriæ Ludovicus, & Armigniacus. Anglorum Regis nomine, qui jam & ipſe, precibus haud dubio uxoris Philippæ motus, venerunt Dux Brabantiæ, Epiſcopus Lincolnienſis, Dux Geldriæ, Iuliacenſis, & Ioannes Bellimontius. Præſens ſemper aderat Ioanna, & conſilia dirigebat: ac cum pacem non poſſet, annuas impetravit inducias, ut interea Atrebati de conditionibus ageretur. Obſtitiſſet libentiſſime Eduardus: cæterum

terum Belgarum metuens defectum, adſenſum præbere adactus eſt. Ita Tornaci ſoluta obſidio, duodecimæ hebdomadis die quarto, cum vix tridui annona in urbe foret. Annum turbidum excepit ſeculi hujus primus & quadrageſimus; quo nihil dignum cIↄcccc-
memoria geſtum apud Hollandos. Trajecti Nicolaus Capu- XLI.
tius Antiſtes, dignitate ſponte cedens, locum Ioanni Arkelio fecit; qui à Pontifice confirmatus, oppignorata, reddito tantundem, quam Dieſtanus acceperat æris, recepit. Inſequenti an- cIↄcccc-
no, quo, ſecundo Ianuarii menſis die, Hollandia terræmotu con- XLII.
cuſſa, finitis inter Gallum & Anglum induciis alter annus adjectus eſt. Qua de cauſſa Comes, ne ſui otio torpeſcerent, modica manu ſubſidio Boruſſis adverſum Polonos contendit. Feliciter ibi pugnatum, everſæ urbes, & plurima hoſtibus erepta. Ipſe Rex Caſimirus turpiſſimas pacis inire conditiones, & Pomeraniam, Culmenſem, ac Michlalovienſem ditiones in perpetuum cedere Boruſſis adactus, ac ſimul eorum inſignia ſuo eruere ſigillo. Acta hæc Inoudiſlaviæ undecimo Kalendas Sextilis, conſenſu univerſæ nobilitatis Polonicæ. Revertens per Germaniam terreſtri itinere Comes Coloniæ ſubſtitit; ubi oblatum ei ab Electoribus imperium, quia abrogatum Ludovico erat à Pontifice, prodiderunt Annalium ſcriptores. Sed ſpretam dignitatem, rejectumque onus, cui ſe imparem dictitaret. Veruntamen quia apud ſolos Hollandicarum rerum ſcriptores reperitur, merito videatur ſuſpectum. Digreſſus Colonia, in Hollandiam re-
verſus Comes, anno qui ſæculi hujus tertius ſupra quadrageſi- cIↄcccc-
mum numerabatur, Hagæ ludos equeſtres inſtituit; quis ad o- XLIII.
ctiduum celebratis, magno principum, nobiliumque concurſu, Bellovacum conceſſiſſe; alteroque in decurſu, egregia virtutis dediſſe documenta, cunctorumque judicio cæteris antelatum, tradiderunt. Talis erat Wilhelmus, ut cum veris in hoſtem armis pugnare non daretur, ne torpedinem artus occuparent, in ſpeciem compoſitis exerceret. Poſtquam Bellovaco ceſſit, Leo-

dicum profectus eſt, componendo diſſidio, inter Epiſcopum Adolphum Marcanum, & vulgus, oborto. Defecerant ad Brabantos Hoienſes, & ejus ope nixi bellum Antiſtiti indixerant. Is dum ſubſidia ſuorum poſtulat, cum fremitu exceptus, cuncta negantibus ante reſtitutam veterem Rempublicam. Sui id potiſſimum muneris, conciliare eos, poſtquam vocatus à nonnullis erat, Comes ratus, adjunctis ſibi Montenſium ac Marcanorum Comitibus, id effecit, ut duo & viginti cum ſummo imperio civibus imponerentur; multum indignante Marcano; qui eorum auctoritate ſuam minui, totque plebi jam duces, quot capita, videbat. Cumque impedire non poſſet, conatus conſilia turbare, atque eo deducere rem, ne perpetuus is foret magiſtratus, ſed annuus. Cæterum evicit Comes, ut cum vita imperium duraret. Ita plebis cauſſæ tum patrocinatum. Pro exule Heinſburgenſi ſollicitus, ut Comitatu Loſſenſi in feudum donaretur, nihil impetravit; unde irarum plenus, Hannoniam repetiit, multa minitans, ni voti compos fieret. Sed Leodicenſes expeditio in Hiſpaniam ſuſcepta metu exemit. Tenebant tum maximam ejus partem Saraceni; & ſimul Algeſiram oppidum, munimentis, viris, & armis inſtructiſſimum: verum hoc Caſtellæ Rex milite circumvenerat, & oppugnabat. Huic tum, cum aliis ſubſidio profectus Comes, non inutilem manendo navavit operam; cæteris Principum aeris Hiſpanici prætexentium inclementiam, domum revertentibus. Strenue ſe geſſiſſe, ut noſtri Annales teſtantur, quamvis ſilentibus Hiſpanis, facile quivis credet, qui animum ejus attenderit. Cæterum Hollandi eo lapſi, quod promiſcue in cives ſævitum ferant, cum pacta prius
CIƆCCC. XLIV incolumitate ſeſe tradiderint. Expugnata demum urbs menſe Aprili inſequentis anni, exacta ſub pellibus hieme. Contuſis Mauris, cum jam & in Hiſpania, & apud ſuos, cuncta forent pacata, pio accenſus deſiderio, Hieroſolymã proficiſcitur, ad viſendum loca Soſpitatori quondam calcata. Hinc Boruſſiam petiit;
unde

Digitized by Google

unde eum anno ſupra quadrageſimum ſæculi hujus quincto, aut CIↃCCC XLV.
fata revocavere, aut Patres; qui ſuſpectis Friſiorum paratibus, hortabantur, ut quam maturrime ſua defenſum veniret. Trajectinos minitari; Friſios, pulſis præfectis à parente conſtitutis, jugum exuiſſe, & cunctos arma ſpectare. His, ut par erat, motus Comes, quam maximis poſſet itineribus ad ſuos rediit. Origo irarum, Hollandos Trajectinoſque inter, incerta. Beka ſparſas à civibus inComitem contumelias, indignationem prius, inde bellum ſuſcitaſſe putat. Addit Heda, abſente Comite Trajectenſes Hollandiam inrupiſſe, & magnam abegiſſe prædam. Ego lubentius eorum temporum æquali Hœcſemio acceſſerim; qui, in vita Engelberti Marcani Leodicenſium Antiſtitis, memorat, ſcriptas ad ſe, aut viſas literas; quis proderetur, litem de præpoſitura Sancti Ioannis obortam, omnis mali labem; dum alii hunc, alii illum foverent. Succubuiſſe, & cæterorum cedere furori adactos, qui Wilhelmo obnoxii erant; & cum queſtum hoc iviſſent Comiti, à civitate, poſtquam domum rediſſent, graviter ære mulctatos. Confirmat hanc opinionem, quod non Antiſtiti Arkelio, ſed civibus, bellum indictum ſit. Hanc injuriam Comes ſuam arbitratus, occultans iram, militem colligit, tanquam mox Friſios petiturus, & ab ipſis Trajectinis, nihil ſuſpicantibus mali, quando amico adhuc animo credebant, annonam, & quicquid pene telorum in urbe erat, coemit; & hæc omnia, quo inopinantibus, & cunctis deſtitutis, ſuperveniret. Poſtquam, quicquid Hollandis Zelandiſque virium, conflaſſet, Hannoniorum etiam, ſpecie Friſici belli, non contemnenda manu caſtra auxit. Centum & quinquaginta millia in exercitu habuiſſe, prodigioſe ſcribunt inconcinni Annalium concinnatores. Multum etiam fallitur Emmius; dum quinque ſupra octoginta militum millia eduxiſſe Comitem, poſteris tradidit. Snoius de centum prodidit; aſt ipſe tamen fidem non habet. Melius certe Hœcſemio, eorum temporum æquali (cujus eo lubentius opi-

 nioni

Digitized by Google

nioni ſubſcribo) de numero copiarum conſtare potuit. Refert is triginta paullo ultra millia in cenſum veniſſe; præter bis mille quingentos quatuor & nonaginta auratos Equites, octo & triginta Barones, duodeviginti Comites. Addit adhæc, centum ſupra mille lapides rotundos, quorum ſinguli ducentorum pondo forent, una ſumſiſſe, verberando tecta. Octavo Iunii, Mercurii die, bellum Trajectinis indictum; ſparſumque è continenti, quo facilius deſtinata procederent, non Antiſtitem, ſed contumaces peti cives. Id movit nobilitatis Trajectinæ complures, quibus jam dudum ſuſpecta nimium urbis fuerat potentia, cum Comite Wilhelmo copias jungere. Inter hos præcipui fuere Zuederus Abcoudanus, Arnoldus Iſelſteinius, Ioannes Montfortius, Henricus Vianenſis, Giſelbertus Sterkenbergius, Ioannes Broechuiſius, Erneſtus Wulvenius, & Fredericus Vtenhammius. His acceſſere Emeneſſii pagi incolæ; qui maluere fortioris occupare gratiam, quam vim exſpectare: quod tamen poſtea male ipſis ceſſit. Decimo menſis die urbs milite, operibuſque cincta. Sunt qui priuſquam obſidio inchoaretur, duplici victoria potitum Comitem ferant; poſteriori ad Merendicam, pagũ inter Montfortium atque Trajectum. Sed hoc recentiores, ſilentibus, quorum major fides. Nec veriſimile, Trajectenſes tantum telorum in urbe retinuiſſe, ut armare exercitum potuerint; aut tam veſanos fuiſſe, ut ſubitaneo milite, tamque parva manu, diſcrimini ſeſe objicerent; cum nemo in certam perniciem, niſi furibundus, ruat. Erecta ante urbem tormenta grandiora, præter minora tredecim, exiguo hominum, majore tectorum damno; templi imprimis Sanctæ Mariæ dicati, & vicinarum Canonicorum domuum. Robertus Arkelius, cui abiens frater, urbis, ſubditorumque curam commiſerat, ſedulo agere, ne quicquam deeſſe videretur, ad tantam belli molem ſuſtinendam. Intentus omnibus, hortari cunctos, *ne abſente Epiſcopo; bonum publicum, ſe duce, paterentur capere detrimentum. Iam jam*

adeſſe

Digitized by Google

adeſſe tempus, quo ſingulorum fides, & virtus in aperto futura foret. Quicquid in urbe ferramentorum, hoſti pene traditum; ſolamque in conſtantia, & lacertis, fiduciam eſſe collocandam; quod quanto gravius foret, tanto majorem ex eo manere omnes laudem. Nonnunquam feminas, armatos in fugam compuliſſe: & fortunam plurimum proſequi promtiſſimos ad pericula. Duraret ipſis parentum virtus, totieſque ab iis repulſum mœnibus eundem hoſtem cogitarent. Virtuti ubique locum, vel jugulo jam imminente gladio: quem à cervicibus facile depulſuros, ſi unus idemque cunctorum perſiſteret animus. Ipſum quod attineret, ejus eſſe opinionis, non deſerendam niſi cum vita Reipublicæ incolumitatem. Si commilitonem, quam ducem, mallent; ad utrumque paratum: nam in pari neceſſitate, & periculis, dignationem attendi non oportere. Hujuſcemodi quidem verbis exſtimulabat eos. Interea tamen de ſalute omnium ſollicitus, quam maximis itineribus nuncios Gratianopolim direxit, ad fratrem Ioannem Arkelium, qui leuando, ut retulimus, æri alieno, quod deceſſores contraxerant, tum ibi morabatur, ut quam celerrime reditum ad ſuos jam laborantes maturaret. Interea Comes crebro adſultare vallum, & dies noctesque tentare urbem; denique cuncta moliri, quo voti compos, Arkelii ante adventum foret. Sed nulla profuere qualiacumque machinamenta, obſtinatis ad extremam virtutem uſque hoſtibus, dum unicam ſalutis ſpem illam credunt. Nox opaca erat, qua paucis comitantibus, foſſam uſque urbis pervenit Comes, ut ſe præſente; & ejus, & valli altitudinem dimetirentur; cum vigiles, ſtrepitu exciti, arma ſumerent, & ubi ex ſonitu ſtare hoſtem conjectabant, tela ingererent; quæ quamvis pleraque ictu incerto ferrentur, ipſum tamen tetigit Comitem infortunium, cui pes trajectus. Saucium exceperunt, cum progredi non poſſet, qui aderant, & irarum vix compotem in caſtra retulerunt. Necdum obducta cicatrix erat, cum advolaret Antiſtes Arkelius; qui protinus Bellimontium, Comitis patruum, adgreditur; induceret cognatum arma ponere. Inducias ille eo facilius impetravit, quod & ſanguine proximus; & in

Digitized by Google

& in biennium ſatis proviſum à neceſſariis urbi foret. Non tamen lege alia, quam ut civium quadringenti, apertis capitibus, genibus tenus nudi, ſupplices delictorum veniam exorarent: & durantibus induciis, Bellimontii eſſet cæteras pacis leges pronunciare. Proceſſit miſera turba, & veniam nacta penates repetiit. Sunt qui & ſimul de pacis actum conditionibus retulere; ſed quia hæ aut confictæ, aut non firmatæ, operæ pretium non eſt hic recenſere; cum conſtet, elapſis induciis, hoſtilia rurſum ſumta. Sex hebdomades duravit obſidium; omni quo tempore, non niſi ſedecim Trajectinorum amiſſos, memoriæ proditum. Plures Hollandorum, Zelandorumque periiſſe, ex eo conſtat, quod præter vulgus militum, quadraginta Barones, vel Equites interceptos, vinculis addixerint; omneſque, ſoluto demum obſidio, quod pronunciato tenebatur, ſine pretio dimiſerint. Redactis in ordinem Trajectinis, meditata, & diſſimulata diu arma Friſiis intulit Comes; ſtatimque, milite navibus impoſito, vela ventis dedit; qui adverſus, & validus, maximæ cladis cauſſa fuit. Ioannes Hannonius, Ioannis Bellimontii Comitis, & Schonhovianorum toparchæ filius, ad Auſtrum latus, monaſterii Sancti Odulphi, quod haud procul Stavera, littus tenuit. Iuvenili is impetu, non exſpectatis commilitonibus, deſiliit in terram, diſiectiſque Friſiorum qui egreſſum impedire conabantur, & prœlium auſus, hoſtes in fugam compulit; quorum alii Staveram, Sancti Odulphi monaſterium alii, fuga petierunt, mœnibus ſalutem credituri. Inſequitur cum ſuis victor, & ſimul ad Staveræ urbis, & monaſterii portam, oppugnationem, diviſis copiis, auſus, detegendo paucitatem animum hoſtibus addidit: qui undique erumpentes, cum & ſuperventu ſociorum copias firmaſſent, facile circumvenerunt. Egregie tum quoque, pro numeri paucitate, pugnatum; ſed tandem obruti, & ad internecionem uſque, excepto Ioanne, qui cum paucis evaſit, deleti. Interea Comes ad alterũ Staveræ

latus

Digitized by Google

latus appulit, cætera claſſe etiamnum cum undis ſimul, & vento, luctante; parique temeritate, cladis acceptæ ignarus, ſuos, numero admodum ſexcentos, ſed omnes pene aut nobilitate, aut genere inluſtres, navibus expoſuit. Poterat præoccupato jam loco, caſtris munitis, nullo periculo, ſuorum opperiri adventum; ni generoſus animus, moræ impatiens, tranſuorſum egiſſet. Perpetuo etenim victoriarum curſu ebrius, auſus eſt penitiora hoſtium inrumpere, cunctaque ferro & igni vaſtare, tanquam univerſæ jam adeſſent copiæ. Friſii, ubi novum ex adſcendentibus ignibus adeſſe hoſtem collegerunt, ſuo adhuc & hoſtium ſanguine madidi, ſuperveniunt. Senſit in ſe iri Comes, nec deſpondit animum. Itaque, ad milites converſus: *Commilitones*, inquit, *feſtinans hoſtis multis vos hortari non ſinit; nec ego opus puto, veſtra quia mihi virtus nota ſatis: qua ut ſuperiores, ita & neceſſitate ſumus. Mediis in hoſtium agris, & pene circumſeſſis, non alia quam in dextris ſalus. Singuli hoſtem ſeligite; mihi is cedet, quem maxime decorum armis conſpexero. Degeneres in hac paucitate noſtra facile notabuntur.* Dixerat, & clamore ſublato, procurrunt omnes ſimul. Ipſe Comes infeſta in illum vehitur haſta, quem ductorem hoſtium præſumebat: & tandem, quamvis intra cohortes à ſuis receptum, adeptus, equo præcipitat, multumque reluctanti demſit caput. Nec ſegnius cæteri adlaborabant, acuente virtutem Comitis audacia. Cæterum cum & vincendo detererentur, & novorum ſemper accurſu hoſtiles augerentur copiæ, non amplius de victoria ſolliciti, id egere, inulti modo ne caderent. Et quoniam ablato teli uſu comminus pugnabatur, promtius Friſiis circumfundere ſua multitudine aciem licuit. Comes hortari, monere, *ultimum diem tot laboribus imponerent, ſi non felicem, hoſtibus ſaltem calamitoſum.* Sed langueſcebant jam vires, vixque arma ſuſtentabant. Ipſe Comes vulneribus gravis tandem ſupremam habuit horam, ac ſtrenui militis confeſſionem ipſis hoſtibus extorſit. Perculit id cæteros, qui ut, illo incolumi,

Digitized by Google

vivere noluerant; ubi deſierat eſſe, quem propugnabant, fugæ viam quæſiverunt: ſatis ad laudem profectum rati, tantilla manu univerſum hoſtile agmen tam diu ſuſtentaſſe. Conglobati igitur perrumpunt, non ſine magna hoſtium clade. Cæterum tergo hærens victor majorem, quam in prœlio, ſtragem edidit: occiſi plurimi; multi etiam, dum ad naves tranare conantur, laſſis membris nando imparibus, ipſis in aquis defecerunt; ita ut in univerſum non ultra viginti incolumes evaſiſſe referatur. Is finis prœlii temere ſuſcepti. Refert Vbbo Emmius, Vorperium ſecutus, decem & octo Hollandorum, Zelandorum, ſociorumque millia trucidata, manifeſto lapſu, quando Beka auctore nonniſi quingentorum manum expoſuerit. Firmat & hanc opinionem Hœcſemius, cui traditum, cum nobilitate Comitem prævolaſſe cæteros, & obtruncatum. Nec prioris cladis ſub Ioanne Hannonio illatæ damnum magnum fuit; quando & ipſum cum paucis egreſſum quotquot antiquiorum ſunt, memoriæ prodiderint. Equidem aſſerere auſim, Friſiorum plures, quam Hollandorum, cecidiſſe: nam quod à mane uſque ad veſperam pugnatum ferant; prohibet credere non multum ſanguinis paucorum illam virtutem hauſiſſe. Id certum, plures majorum imaginibus inluſtres cum Comite periiſſe, quam maximis unquam prœliis. Cecidere etenim, præter Comitem, inclyti fama & genere, Hornanus, Lignæus, Valencourtius, Manius, Antongius, Hamſtedus, & Merwedanus dynaſtæ. Aurati equites, Gerardus Barbatus, Wilhelmus Nalduicenus, Simon & Theodericus Teilingii, Guido Aſperanus, Ioannes, Reinerus, & Wilhelmus Montfortii, Theodericus Zanthorſtius, & ejuſdem nominis cum Hermanno fratre Suitenus, Florentius Merwedus, Otgerus Spangius, Gerardus Everus, Albertus Horſtius, Nicolaus Oemius, Wilhelmus Dongius, Theodericus Valecortius, Gerardus Florevilius, aliique ejus ordinis plures. Sexto Kalendas Octobris accepta clades, loco

Digitized by Google

des, loco quo Comites Hollandiæ, nomine Poteſtatis Friſiæ, jus dicere ſolebant. Quæ victoria tanti Friſiis fuit, ut illum diem B. Mariæ dicatum ad proavorum noſtrorum tempora celebrem habuerint. Cadavera reliquere inſepulta; Comiti, barbaro ritu, amputatum caput, in vindictam nobilis Friſii ab eo, ut memoratum, occiſi. Interea & cætera claſſis in procinctu venit: ſed viſis Friſiorum agminibus, rati id quod erat, Comitem vel captum, vel trucidatum, mœſti abierunt, infauſtis, & incertis rumoribus Hollandiam complentes. At mox omnis dubitatio exemta, ubi miſeræ cladis reliquiæ ſupervenerunt. Commovit præpropera Comitis mors, & indignum faſtigio ejus ſepulchrum, Martinum Iohannitis Harlemi præfectum (Commandatorem vocant) cadaver inquirere, & repertum, in Floridi campi monaſterio ſepulturæ mandare. Is exitus Wilhelmi fuit, cum octo Hollandiæ præfuiſſet annis. Vir parenti multum diſſimilis; ille paci, hic armis addictior. Sed tales ſimilis exitus manet. Ferunt, cum Sacro fonte ablueretur, Renaldum Geldrorum Comitem, infelicitatem à Friſiis imminentem prædixiſſe: quod verum, an falſum ſit, quando uno omnes conſenſu veteres tradunt, noſtrum non eſt judicare. Ioanna uxor ejus in Brabantiam ad parentem conceſſit; ubi, imperio potita, Wenceſlaum Luxenburgicum, Caroli, ejus vocabuli, quarti, Imperatoris fratrem, maritum habuit. Comitis fato, quod ante auſus alioquin Antiſtes fuiſſet nunquam, finitis induciis, omnem Trajectinorum nobilitatem, quæ Wilhelmo, obſidenti urbem, opem tulerat, armis petiit; variiſque modis, aut punienda, aut profliganda in ordinem redegit. Emeneſſios etiam aggreſſus, pagum incendit; adegitque ejurato Orientalium, ſeu Oſt-Hollandorum nomine, rurſum ſe ſubdere veteri Domino.

FINIS LIBRI NONI.

Digitized by Google

MATTHÆI VOSSII,
ANNALIUM
HOLLANDIÆ,
ZELANDIÆQUE,
LIBER DECIMUS.

POſtquam cæſum Wilhelmum, & fato ejus vacuam Principe Hollandiam percrebuit, Ludovicus, id vocabuli inter Imperatores Romanorum quartus, ratus, ut ante ipſum plurimi Cæſarum, Hannoniam, Hollandiam, & Zelandiam, ad Imperium devolutas, more majorum convocatis Electoribus, oratione ſingulorum ea de re exquiſivit ſententias. Electores, & Principum quotquot aderant, uno, (quid mirum?) ore acclamarunt Imperio cedere ditiones, & Imperatoris eſſe rectorem dare. Tum Ludovicus, *quandoquidem ſui eſſet juris dare Principatus, cui liberet, non alteri ſe concedere, quam uxori ſuæ Margaritæ, occiſi Comitis ſorori.* Et quidem hæc in Germaniis acta Ludovico, inſciis Patribus. Sed illi parvipendebant, quæ ibi gererentur, gnari ſatis ſuam auctoritatem non infringi externorū Principum opinionibus; eoq; acquievere MARGARITÆ Comiti, non tanquam ab Imperatore, ſed à ſe electæ; cui, citra cauſam, adimere Principatum non licebat. Vidiſſet Ludovicus, ſi filiorum uni è priori toro adſignaſſet, contemtam ſpretamque auctoritatem ſuam ab illis, qui ne quidem ex ipſa Margarita ortum, viva adhuc matre, ad ſupremum apud ſuos evehere faſtigium voluiſſent. Scivit haud dubio hoc &

Digitized by Google

hoc & ipſe, qui forſan & iſto, & illo jure, Principatum adire maluit Margaritam, metu ne Philippæ nomine, Eduardus; Mariæ, Iuliacenſis, novas res molirentur. Interea Margarita, paratis ad iter neceſſariis, tandem anno, qui ſæculi hujus ſextus & quadragesimus numerabatur, in Hannoniam venit; & mox ad Hollandos Zelandoſque, metu Trajectinorum, quos arma comportare nuntiabatur, profecta, ab obviis Patribus excipitur, tanto majore lætitia, quanto ante ex fato fratris triſtiores fuerant. Poſtquam inaugurata ſingulis in urbibus, curarum prima fuit placandi Antiſtitis; quia diu abeſſe marito non permittebatur; cumque eo inducias in biennium ſancivit, duraturas uſque ad feſtum ſanctæ Margaritæ anni octavi ſupra mille trecentos & quadraginta. Majus ob fratris necem adverſum Friſios odium erat: & quia ulciſci inlatam indigno faſtigio mortem temporis brevitas haud ſinebat, quoquomodo vindictam ſumſit, addicendo eorum bona fiſco, quæ plurima in Hollandia poſſidebant: nonnulla etiam divendidit, repertis emtoribus. Mariengardæ apud Friſios præluſtre cœnobium maximum tum damnum perſenſit, agro, quem nuper à Nicolao Perſinio ſuo ſibi ære acquiſierant, ademto. Cauſſa inde Friſiis armorum; ſed intra fremitum conſtitere. Nec unquam illis tantum fuit animi, ut, quamvis victores, transferre bellum auderent. Hac tempeſtate ab Electorum nonnullis ære corruptis, inſtigante Pontifice Romano, adverſus Ludovicum, cui ſacris interdictum erat, Carolus Bohemorum Rex eligitur. Et quia nec Francofurti, more ſolito, conventus haberi, nec corona Cæſarea Aquiſgrani imponi poterat: Bonnæ id factum à Colonienſi, quem octo marcarum millibus argenti puri ad facinus hoc impulerat: aliis etiam emercatis, nec quoquam niſi ære obſtricto conſentiente. Sollicitus admodum fuerat Ludovicus Imperator, ne, vicinorum Principum ſubſidio, Aquiſgranum occuparet: ſed metum exemerat Margarita, quæ ſuis opibus impedituram qualeſcumque hoſtium conatus per li- CIↃCCCXLVI.

Digitized by Google

teras promiſerat. Et poterat, quamdiu Hollandum, Zelandum, & Hannonium ſibi militem promptum addictumque haberet. Interea Imperator crebris hortari Margaritam literis, maturaret reditum: cui ut obſecundaret, convocatis Patribus mariti aperit poſtulata, & temporis ſimul excuſat neceſſitatem, quod quamvis Comes, ſuis tamen adeſſe, juſſis obnoxia alienis, nequiret. Parum placuit Patribus tam cito deſeri Rempublicam, inque maximo relinqui diſcrimine. Ideoque ut fixum ſenſere animo, hoc poſtularunt; unum è filiis ſummæ rei præponeret: *Trajectinos, propter urbis ſuæ obſidium, palam infeſtos; Friſios, ob ademta & fiſco addicta bona, iratos, facileque in partes ituros; Flandros, quibuſcum ſolida nunquam pax foret, qualemcumque belligerandi quærere occaſionem.* Margarita, ut juſta audivit peti, reſpondit, Rempublicam ſibi curæ fore: miſitque ſtatim ad Ludovicum Imperatorem literas, quis poſtulati Patrum certiorem redderet, & ſimul, ne obſiſteret, hortaretur. Conſenſit Ludovicus, & protinus, vocatis ad ſe filiis, matris, ſubditorumque ejus, aperuit voluntatem. Erat eorum primogenitus Ludovicus, cui vocabulum *Romani* à natali ſolo inditum erat, proximus quidem hæres, ſi non Marchionatus potius Brandeburgenſis placuiſſet. Hunc ſequebatur Wilhelmus, quocum, quia abſentem non tolerabant Hollandi aut Zelandi Principem, tranſegit ea lege, ut imperio potitus, ſeptuaginta aureorum ſcutatorum millia, pro ſuo in Hollandos Zelandoſque jure, & ſimul alios quatuor ſcutatos aureos, è telonio Dordrechtano, in ſingulos annos, donec viveret, annumeraret: Vornanæ inſulæ, & præfectura Zelandiæ, ſi loci domina Ioanna ſine legitimo ſucceſſore decederet, ſui juris, aut fratris natu minimi Othonis forent. Ita ceſſit Ludovicus ſuo in Hollandos imperio, & Wilhelmus hortatu patris in continenti ad Hollandos Zelandoſque feſtinavit. Erat iter per infeſſa hoſtibus loca faciendum; maximeque à Colonienſi, infeſtiſſimo tum Cæſari, metuebatur. Hac de cauſſa Imperator Catzenellebogii Comi-

Digitized by Google

Comitem, fidum admodum ſibi,& cujus prudentiæ multum tribuebat, ad ſe vocatum deducere Wilhelmum jubet, ipſo ſplendidiſſimo habitu præeunte, & filio ſubſequente ſervili, quo interceptum facile, tanquam vile mancipium, redimeret. Hoc modo, à militári via deflectentes, in Hollandiam pervenerunt; magnoque gaudio ab Imperatrice,& proceribus,excepti. Commiſſa ſtatim à matre, jam dudum revertendi ad maritum avida, Reipublicæ cura, hac lege, ut in ſingulos annos ſcutatorum millia decem penderet, & ſupremum in cunctas ditiones,donec viveret, jus matris agnoſceret. His peractis, illa in Hannoniam, & inde in Bavariam, conceſſit. Illa tempeſtate comperio multa à Margarita, priuſquam decederet, civitatibus conceſſa: quæ tamen recenſere non eſt hujus operis. Nefas interim non notare tempus, quo Amſtelodamum publicis tabulis in unum cum Hollandis corpus coaluit. Hactenus diviſi, quamvis eodem ſub Comite egerant, jam à profugi Gisberti temporibus: & hinc forſan metus, ſi in numeroſa prole uni è Comitum liberis cederent, qui ſucceſſione jus ad poſteros tranſmitteret, ne rurſum aliquando præda potentiorum fierent inter vicinos adeo validos. Non enim unam urbem, & paucos agreſtes ſuffecturos, ad vim vel Hollandorum, vel Trajectinorum, qui perpetuo ipſis inhiabant, à ſuis cervicibus depellendam. A Ioanne primo conceſſam ditionem ſuam fratri Guidoni; verum illo ad Epiſcopatum evecto,ſublatum timorem, ne ad ejus poſteros dilaberentur. Huic rei ut provideretur, impetravere à Margarita Comite tabulas, quis in æternum cavet,ne ſucceſſorum ulli liceret, avellere à cætero corpore Hollandico urbem; pollicetúrque ſimul, illam inſtar aliarum futuram. Locum adhæc inter Patres tum adſignatum, quamvis in tabulis non contineatur, ex eo conſtat, quod ex eo tempore, cunctæ tabulæ à Patribus editæ, eorum etiam nomine ſancitæ firmatæque reperiantur. Hinc prima magnaque ſtatim incrementa urbis, brevique temporis ſpatio opi-

bus adeo

Digitized by Google

bus adeo invaluit, ut cæteris non par modo, ſed antecellere videretur. Nunc vero totius Europæ emporium longe celeberrimum habetur. Reverſa ad Bavarum Margarita, Wilhelmus imperium obtinuit, & Rempublicam tanta laude adminiſtravit, ut memoriam infelicium temporum facile deponerent. Amorem ipſi conciliabat juventa, morum egregia facilitas, & ingenium multorum auribus accommodatum. Inter hæc civile Trajecti exarſit bellum. Motuum concitatores ab auctore, ut puto, nomine adſumto, Gunterlingi vocabantur. Summa ope nitebatur Antiſtes in gratiam reducere: quod cum fruſtra foret, Gunterlingis factus hoſtis, adverſantium partibus adhæſit. Media in urbe concurſum, fuſi Gunterlingi, & ducentis eorum exilio mulctatis, cæteris incolumitas data. Compoſitis turbis, peregrinatum Antiſtes abiit, quo oppreſſæ alieno ære Reipublicæ ſubveniret: debita enim tum hoc, tum aliis bellis, contraxerat plurima. Sed, metu Gunterlingorum, diu emanere auſus non fuit, inclinantium admodum ad novas res. Interea apud Hollandos ſumma tranquillitas, & imperium Wilhelmi ad guſtum erat; cujus parens Ludovicus Imperator, inſequenti anno, qui ſæculi
CIↃCCCXLVII. quarti & decimi ſeptimus ſupra quadrageſimum erat, dum Monachio venatum concederet, equo delapſus interiit, non ſine gravi ſuſpicione veneni, juſſu ipſi Pontificis propinati. Magna indicia reperta. Vxor in Bavaria remanſit, donec imperium inter filios divideretur, rata alioquin fore, ut major priore toro ortorum, quam ſuorum liberorum, ratio haberetur. Cæterum eo anno nihil actum, cum perpetuis bellis fratres cum Carolo electo Romanorum rege colliderentur, & vix reſpirandi tempus
CIↃCCCXLVIII. haberent. Excepit fato Cæſaris gravem annus domi turbulentus; quo finitæ cum Trajectinis induciæ. Vtrimque magni paratus; ſed prior Antiſtes movit, ſegnius agentibus Hollandis, contemtu toties devicti hoſtis: quorum etiam fiducia Emeneſſii iterato in partes venere, ejurato Antiſtitis Arkelii imperio, &
nomine

Digitized by Google

nomine Oſt-Hollandorum reſumto. His Æmilium Mindanum, virum fama celebrem, è veteri Amſteliorum familia, Wilhelmus præfecit, ne inopinato obruerentur. Sollicitatus eorum defectione Antiſtes, maturat, & Hollandiam invadit, viciniſque locis vaſtando emenſis, recta adverſum Oſt-Hollandos proficiſcitur; qui & ipſi in armis hoſtem exſpectabant, auctis ſuorum copiis numero vicinorum. Pugna atrox fuit; nec niſi capto Æmilio, Antiſtitis victoria. Cæſi plerique, pauci evaſerunt; quorum tergis hærens victor, una pagum inrupit, & occupavit. Eo vero gravius in ipſos ſævitum, quod juramenti jam ſecundo obliti defeciſſent. Wilhelmus, percepta Mindani captivitate, & Emeneſſiorum clade, eductis ſuis, in Trajectinorum finibus ad novum aggerem conſedit, & mox Iutfaſiam pagum, medio miliari Trajecto abſitum, aggreſſus, diripuit, incenditque: opulentus præda miles in caſtra reductus. Per octiduum ibi ſtativa Wilhelmus habuit, & eliciendis è civitate hoſtibus omnem agrum incendiis fœdavit. Sed illi immoti conſederunt, nec auſi ſummam rerum prœlii unius eventui committere. Interea Antiſtes quatuor millium manũ, deflectens à militari via, deimproviſo in Woerdanum agrum induxit, miſerumque in modum populatus eſt. Mox & Amſtelandiam pecurrens ſimili clade involvit; militemque ſpoliis gravem, fruſtra conante ultimos carpere Wilhelmo, incolumem Trajectum perduxit. Dum utrimque agrorum maxime jactura certatur; ſupervenit Ioannes Brabantiæ Dux, cum Cliviæ, & Bellimontii Comitibus; qui tandem multo labore inducias, ad undecimum inſequentis anni Novembris diem, impetravere. Necdum ſancitæ erant, cum Gisbertus, Bronchorſtii toparcha, diverſa in parte Antiſtiti arma inferret, & Goerêam incenderet caſtellum, ratus haud facile adeo inter Arkelium, & Wilhelmum, conventurum de conditionibus. Hoc facinus ut ulciſceretur Antiſtes, metu Hollandorum ſublato, eo rapuit copias; caſtellumque ejus Borkeloam expugnatum

Digitized by Google

conſpirantibus. Paterna iis bona reliquit Carolus, plurimaque & alia adjecit, quo Imperii coronam, cæteraque ornamenta, hactenus ab ipſis adſervata, adipiſceretur. Ludovico primogenito Marchia Brandeburgica, & Electoralis dignitas cum Palatini Comitis Rudolphi filia; Alberto, Margarita, Ludovici Brigenſium Ducis nata, eademque Caroli cognata, obtigit; Gunthero, quem Bavari, Germanorumque alii, paullo ante Regem elegerant, ingens auri vis data, ut cederet dignitate. Hiſce artibus Carolus ad Imperium pervenit. Lite compoſita, paternas opes diviſere inter ſe fratres, præſentibus Margarita Imperatrice, Rudolpho Palatino, & Ioanne Noribergana urbis præſide. Ludovico Brandenburgico, Ludovico Romano, & Ottoni, dividenda obtigit Bavaria prima, uterque Marchionatus Brandenburgicus, & Tirolienſes. Wilhelmo, Alberto, & Stephano, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Friſia, & Bauaria inferior. Hi rurſum Lanshutæ convenerunt; adſignatæque Margaritæ Imperatricis poſt fatum opes Wilhelmo, Alberto Strubinga, Dietfurtum, Kelhemum, Chamum, Deckendorfium, Wilshovia, Dingelfinga, Landavia, & Schardinga cum territoriis civitates. Stephano Lanshuta, Morsburgium, Ottenfelda, aliaque Bavariæ loca Alpibus propiora. Acta hæc anno ſæculi hujus nono ſupra quadrageſimum. Eodem in conventu Bavari, quod viderent potiſſimam hæreditatis partem ceſſuram Wilhelmo, ſi cum Hollandia, Zelandia, Friſiaque, poſt matris fatum & Hannonia obtingeret, ſtatuerant hanc alteri concedere: ſed conſtanter obſtitere Patres, qui unius animo, ut antea, regi voluerunt. Diviſo inter liberos imperio, Margarita Imperatrix, ſalutatis Bavaris, Hannoniam petiit; & mox ad filium Dordrechtum profecta, cedere imperio, inque Hannoniam ſe recipere compulit, quando nunquam decem millia ſcutatorum, in ſingulos annos, ut convenerat, annumeraſſet; illo cauſſante perpetuis Trajectinorum armis ærarii inopiam. Poſtquam abiit Oſtervandius, Mar- CIↃCCC XLIX.

 garita

garita onus Reipublicæ in ſe recepit, multis Patrum indignantibus; qui filii imperio adſueti, optaſſent ſtabilitum illi principatum. Si verum fateri volumus, potuiſſet Imperatrix, quando plerumque ipſa attineretur Hannonia, præfecti titulo apud Hollandos, Zelandoſque relinquere Wilhelmum; quo auctoritate ejus, populus, qui non niſi præſentem colit Principem, in officio contineretur. Sed videtur metuiſſe, ne ſe vivente Comitem ſalutarent, ut poſtea factum vidit. Etenim Patrum plurimi, poſtquam matri adeo obtemperantem viderunt, miſericordia moti, majore etiam affectu, quam antea, proſequebantur, & abſentem colebant ardentius. Dolebat iis, juvenem imperii capacem, & ante à ſe admotum, inter privatos rurſum lares conſidere. Indignabantur, vivo illo, feminæ obtemperandum; cui vix viri pareant, quando aliter haud datur. Illa tamen nihil non moliri, conciliando amori, obſequio, auctoritati; ſed fruſtra; omnibus pene cuncta ejus conamina in malam partem interpretantibus, quia ab ipſa proficiſcebantur. Nobilium, civitatum, augere libertatem; tributorum levamen, ac vectigalium immunitatem, aliaque plura non concedenda concedere; & hæc cuncta pro obſequio: quod tantum abfuit ut conſequeretur, ut hos oneribus eximendo, plurium, idque peſſimorum, ſtatim in odium incurreret; cum uni, quam alteri, addictiorem crederent. Hinc nata inter eos invidia, (dum quantum alterius poteſtas augeretur, tantum ſuam deteri fremerent) quæ majus in Comitem odium concitavit; quod & ipſa auxit præpropero ad Hannonios abitu. Nam poſtquam præſentem, quam venerarentur, non viderunt; palam inceſſere licentioſis vocibus, & ſpernere, ut indignam tali faſtigio, Majeſtatem. Et haud dubio exarſiſſet ſtatim ingens incendium, ni finitis cum Trajectinis induciis, externus timor, maximum concordiæ vinculum, ſeditioſorum ad tempus voces ſuppreſſiſſet, & ſuſpectos infenſoſque inter ſe junxiſſet animos. Etenim Antiſtes Arkelius, abſentiam Comitis,

Digitized by Google

mitis, & animorum vacillationem ſpeculatus, ad arma vocato pene omni Trajectinorum nomine, domo digreſſus, Oudewatriam, oppidum, ut tum tempora ferebant, valide ſatis munitum, viris armiſque cinxit. Et poſtquam nulla eruptione, aut hoſtium exercitu, impediri ſe vidit, quo minus vallum ſubiret, & adſcenſum moliretur; ignavi ratus lentam exſpectare victoriam, cohortatus milites, ingenti eorum alacritate, mœnia undique aggreſſus, ſcalis admotis, poſt acrem & difficilem pugnam, tandem vi cepit: præda militum fuit, oppidum flammis datum. Periere, ea in oppugnatione, Trajectinorum fama celebres Ioannes Riſenburgius, Iacobus, & Ioannes Lichtenbergii, Everardus Drielius, aliique plures; unde neque ipſis incruentam fuiſſe ſatis conſtat. Oudewatrenſium clade percepta, undique in unum conglobantur Hollandi, ac ſepoſitis odiis, pari ardore hoſtem, & certamen, nullo duce, fidenter petunt. Haud longe Schonhovia cum Antiſtite ſummo ardore concurſum: ſed ceſſere tandem, ſoliti hactenus vincere, Hollandi; fato eos forſan bella ad civilia vocante. Plures in fuga, quam prœlio, abſumti; promtiſſimi quique in manus hoſtium dilapſi, & inter hos Gisbertus Langeracius, Herbertus Liſveldius, & Conradus Oſtervicenus: ſigna octo & decem amiſſa, & in victoriæ ſignum Trajectum delata: ſecundum & viceſimum Auguſti diem tantæ victoriæ celebrem Antiſtes habuit. Incendiis deinde non ædium tantum, ſed & villarum, extractum aliquamdiu bellum; donec, quorundam interventu, poſita arma, & induciæ ſancitæ, ad inſequentis anni Novembris diem undecimum. Impulit Antiſtitem illas pangere conflatum ingens æs alienum; cui ſolvendo, ut relatum, non erat; metuebatque ex eo creditorum perfidiam; qui jam ipſi inopi inſultantes, non dubitabant totam Ciſiſelanam ditionem, & ipſum Vollenhoam caſtellum pignoris loco poſtulare. Dubius inde Antiſtes, & haud ſatis ipſe ſuarum rerum ſatagens, rem ad Patres detulit. Illi, ubi cognovere in diſ-

Digitized by Google

crimen tali petitione auctoritatem ejus, adeoque totam conjici Rempublicam; negavere cuncta; & ne novi quid molirentur creditores, muneribus deturbant, ſpe facta ſolutionis, ubi ægrota Reſpublica convaluiſſet. Epiſcopus, adſumtis ſex modo equitibus, parva cum gloria obæratus Romam ſeceſſit; quo Eccleſiæ, ſuſtinendæ vel aulæ impari, parce exteris in oris vivendo ſubveniret. Eo anno gravis peſtilentia, Hollandiam, Zelandiam, totumque terrarum orbem inceſſit; ita ut mediam humani generis partem lue enectam, memoriæ traditum ſit. Breve id malum; ſed perniciofius, magiſque duraturum, inſequenti anno,
CIↃCCCL. qui hujus ſæculi quinquageſimus numerabatur, Rempublicam invaſit; quod infectas ſemel ira mentes ad æternum pene odium concitavit. Non jam amplius intra privatos parietes conſiſtebant voces; ſed Patres, nobiles, plebei, prout cuique animus erga Comitem adverſus, vel pronus, cuncta tumultuoſe agebant. Clamare plurimi, *abrogandum feminæ imperium, & impotentem ac ſegnem ſexum, qui libidine cuncta metiretur, ſolio deturbandum: quid opus damna prorogare, quando remedium novo in Principe?* Clementius cæteri, *nullam unquam felicem adeo Rempublicam fuiſſe, quæ non inter fortes, ignavos; audaces, timidos; ſeveros, lenes; fuerit Principes experta. Quæ facilius nunc feminæ condonanda; cujus imbecillitati obviam ire Patrum foret, non impetu, ſed conſilio; quando ita agendo ſervare, altero interitum Reipublicæ maturare poſſint: nullam majorem imperiorum labem ſeditione repertam; quæ ſola ſufficeret ad validiſſimas res peſſumdandas. Non denique contra morem obſequii vim ſtatim meditandam; ſed in commune conſulendum eſſe, animo ab omni affectu, & livore imprimis libero.* Interea dum Hollandi fluctuant, militi præfectus Antiſtitis, Iſelſteinii toparcham, Hollandiæ Comitum clientem, armis aggreditur, & poſt quinque hebdomadum oppugnationem, urbem caſtellumque in poteſtatem redigit; adigitque Arnoldum Amſtelium, exuto ſacramento, quo Hollandis devinctus erat, in verba Antiſtitis Arkelii jurare. Sed is prima rurſum occaſione, ubi metus
ceſſit,

Digitized by Google

ceſſit, illo relicto ad ingenium rediit, & ſe ſuaque rurſum veteribus dominis ſubjecit. Interea Comes Margarita, de imperio ſolicita, in Hollandiam venit, & præter opinionem obſtrepentium voces propemodum adventu oppreſſit. Et quam abſentem ob ſexum contemnebant, eandem præſentem venerabantur. Neque dubitandum eſt, ſi omiſſa ad tempus Hannonia, ſedem apud Hollandos poſuiſſet, illi imperium hoc incolume manſurum fuiſſe: ſed aura Hannoniis lenior invitabat feminam jam Germaniis adſuetam. Igitur ſopitis, ut credebat, odiis, & jam abitum moliens, rurſum cum viris muliebriter agere cœpit, quo infenſos ante conciliaret, modi ſtabiliendæ & conſervandæ autoritatis plane ignara. Nam cum in quoſdam exemplum pro imperio ſtatuendum foret, muneribus ſibi potius reddere obnoxios ſtatuit, & multa conferendo devincire beneficiis. Inter cætera Dordrechtanis, ſpe opulentam civitatem in fide continendi, jus ſiſtendarum mercium, quod *ſtapulæ* nuncupant, quæ Rheno, Moſa, Vahali, Iſalaque fluviis deveherentur, conceſſit. Vix Comes ad Hannonios pervenerat, cum repente illi, qui ex mutatione Principis turbarum licentiam, & ex civili bello præmia ſibi promittebant, colloquiis impellerent ad audendum facinus cæteros. Et adſtrepebant ipſis peſſimi diverſis incitamentis, palamque feminæ contemnebant mandata, & digreſſi à ſociis, ſeorſum conventicula, & de Republica conferebant conſilia: ac tandem eo audaciæ proceſſerunt, ut publice imperium Magaritæ, nequicquam bonis contra nitentibus, abrogarent; cæteroſque, quibus diverſa foret opinio, publici nominis hoſtes, patriæque proditores, judicarent. Nec hic ſe ſtitit jam conſcientia maculatorum rabies: ſed quo amicum ab hoſte ſecernerent, factioſum etiam nomen Cabeliauiorum adſumſerunt. Id bacchos, ſive aſellos notat majores; jactabantque ut hi minores deglutirent piſces, ita cæteros ſuo furori facile ceſſuros. Cæterum neque deerat ſtantibus pro Margarita animus, quamvis numero paucio-

Digitized by Google

paucioribus. Ergo percepta conjuratorum in ſuam perniciem voluntate, ne de improviſo occuparentur, caſtella muniunt, & arma comportant. Nec de felici ſucceſſu, quando pro juſta cauſſa erat, dubitabant. Houcciorum illi mutuati ſunt vocabulum; quod hamum exprimit, quo aſelli capiuntur; & cum illi cinericei coloris pileum geſtarent, ipſi rubrum adſumpſerunt. Hinc à cunctis ſimul Hollandis in partes itum; nec indecorum fuit cognato ſanguine manus temerare. Anguſti is animi habebatur, qui neutris addictus eventum ſpeculari mallet, quam ſe turbis miſcere, tanquam pericula & vulnera pro Republica expaveſceret. Leida, & Amſtelodamum, cum Theoderico Bredenrodio, Philippo Burchgravii titulo Leidenſibus præfecto, Waſſenario, atque Ioanne Polanæ atque Leccæ toparcha, Houcciis: Dordrechtum, Harlemenſes, Delfenſes, cæteræque civitates, Cabeliauiis adhærebant: quorum ductores fuere, Ioannes Arkelius Antiſtitis Trajectini pater, Arnoldus Egmundanus, & Gerardus Hemskerkius. Priores Cabeliauii omnem pene Houcciorum agrum vaſtando corruperunt. Sed brevi repenſa clades, & vindicata injuria, Houcciis numero ſolum, non animo cedentibus. Accedebat quod læſi, ad vindicandam injuriam procederent. Tum vero miſera Reipublicæ facies; non iter peregrinanti, non ager ruſticis, non amnes navigantibus tuti. Omnia ſæva, infeſtaque. Non ſacris, non humanis parcitum. Vitiata templa, pollutæ cærimoniæ, violatum jus patrium, cædibus infectæ ædes. Plenum exiliis mare, terra: exitus multorum fœdi, truces, & miſerabiles. Magnum ſceleribus, nullum virtuti præmium; quando & ipſa pro crimine. Summa deníque imis mixta. Maculatis jam civili bello manibus, non puduit & paricidiale movere. Etenim Cabeliauii, utcumque potiores numero, ubi virtute Houcciis ceſſerunt, delegatos ad Wilhelmum Oſtervandium miſerunt, opem ſubſidiumque ejus imploraturos. Vbi in Hannoniam perventum, & poteſtas dicendi

facta,

facta, unus eorum: Laborantibus, inquit, ſuccurrere ſubditis „ Principis cura eſt.: quam qui negligit, imperio ſe ſimul indi-„ gnum, & moli imparem oſtendit. Hinc gentium pleræque uni „ majeſtatem contulerunt, quo facilius auctoritate compeſceren-„ tur tumultuantes. Vnum enim ubi omnes reſpiciunt, veneratio „ gignitur, & divinitatis opinio. Noſtri majores prudenter apud „ Comites majeſtatem; vim imperii apud plures eſſe voluerunt. „ Populus majeſtate principis; ipſe Patrum auctoritate in officio „ tenebatur. Hoc vinculo floruit Reſpublica, donec concors. „ Et hactenus fuit, dum Patribus onus, laus omnis Principi cede-„ ret: qua non inviti carebant, modo bene Reip. foret. De pace, & „ bello, conſultabant ſimul; exſequi ſtatuta Comitum erat. Se-„ ditiones, bella civilia, prius in conſeſſu, quam armis, opprime-„ bantur. Mirum tibi forſan, Comes, hæc quorſum narratio. Do-„ let dicere: matri tuæ adverſamur: cujus mores quã procul à ma-„ jorum! Tumultuantur domi cives, nobiles, Patres; & in mu-„ tuam perniciem, multo vicinorum gaudio, acuunt ferrum. Claſ-„ ſicum exſpectatur, & hoc ſolum in mora non fuſi majoris ſan-„ guinis. Ipſa interim ſecura deſidet, & omiſſa Hollandia, Zelan-„ diaque, otioſe exſpectat calamitatis noſtræ finem. Venerat nu-„ per; viſa fuit, & abiit; ſuoque præpropero deceſſu, nihil aliud „ effecit, quam quod acrius infenſos concitarit. Qualis hæc ſub-„ ditorum cura! Exarſerat nuper cum Trajectinis bellum, agri „ populatione vaſtabantur, expugnabantur oppida: an ſubvenit? „ Audivit cladem Schonhoviæ acceptam, & paſtum noſtrorum „ ſanguine Antiſtitem: quieta manſit, & omnium ſecura, adſcen-„ dentem flammam è longinquo conſpexit. Pudet coram te, Co-„ mes, matrem incuſare, & ſimul ſuſceptam ſemel Principem. „ Sed urget neceſſitas: nec ruina arceſſenda, quando caveri po-„ teſt. Si admovimus Reipublicæ, peccavimus; in quo quiſquis „ perſiſtit, obſtinatum, & parum amantem patriæ ſe probat. „ Tempori medicina eſt adhibenda, & initiis obſtandum: quod „

Digitized by Google

„facturi ſumus, ſi ad conſervandam Rempublicam tantum tibi a-
„nimi fuerit, quam antea ad defendundam. Pars eſt ſapientiæ,
„perperam acta novo facinore delere. Vtinam unius nobiſcum
„opinionis illi Patrum forent, qui hoc ſtabilitum Margaritæ
„volunt imperium: nõ eam tum nobis impoſuiſſent neceſſitatem,
„arma potius, quam conſilium ſectandi. Nunc cum eo veſaniæ
„delapſi ſint, ut qualemcumque ad tempus Principem toleran-
„dum putent; quando debilitatis ſolum eſſe vitium credunt, cui
„ſubveniri à Patribus poſſit: noſtram illam eſſe curarum partem
„putavimus, ne ſtulta eorum opinio, Reipublicæ ſit noxia. Quid,
„ſi æquis illi videre poſſint oculis, uri agrum, vaſtari cuncta, di-
„ripi pagos, oppida, urbes, & hæc omnia ab toties victo & ſpreto
„hoſte: ideone noſtrum erit pati? Viri ſumus; arma ſunt, & in-
„duimus nunc, non in hoſtes, ſed cives; qui illis tanto peiores,
„quanto internum ſuperat externum malum. Decretum & porro
„pro Republica ſtare, & contumaces armata vi reddere officii
„memores. At quanto præſtaret id citra ſanguinis fieri civilis ef-
„fuſionem; cum, quamvis victores, deploraturi ſimus male collo-
„catam virtutem. Sed hoc urget neceſſitas, emere publicam qui-
„etem paucorum pœna. Poſſes tamen, Wilhelme Comes, im-
„minentem cervicibus depellere gladium, & auctoritate tua com-
„peſcere contumaces, ſi ad habendum imperium eadem tibi
„mens, ac nobis ad depellendam Comitem foret, & univer-
„ſorum ſalutem privato antehaberes. Scimus durum tibi adver-
„ſum matrem inſurgere, & illi, cui reverentiam, cæteraque obſe-
„quia debes, temet opponere: verum cogitare oportet, quomo-
„do non alter impotentiæ maternæ melius ſuccurrere te valeat,
„aut juſtius poſſit. Hoc fiet capeſſenda Republica, cui ſtulte an-
„tea ceſſiſti, imperio matri reddendo, citra noſtrum conſenſum,
„quo tamen electus eras. Quod utrum per te ſolum licuerit
„tibi, merito dubitamus: id ſcimus licere, quando ſecundo offeri-
„mus, recipere. Novimus ingenium, novimus virtutes, dignique
earum

Digitized by Google

earum ſumus æſtimatores: quarum ſi aliquam in matre repe-„
riſſemus, ſtaret adhuc incolume ipſi imperium, nec adigeremur„
quærere Principem. Imperitavere & ante nobis feminæ; ſed„
moli pares; ſeu domi, ſeu foris, fama inclitæ; non deſerentes,„
niſi deſertæ, Rempublicam. Si in Margarita, aut Gertrudis„
prudentiam,ad bella ardorem,aut Petronellæ animum,reperiſſe-„
mus; non hodie verba tecum hujuſcemodi, Comes, permuta-„
rentur. Nullius tamen illam culpæ ream facimus; niſi quod,„
regendis armatis impar. Quare non ad ipſam queſtum, ſed ad„
te venimus; quem moli parem, nec defuturum defenſorem no-„
ſtri credimus. Sume animum, Wilhelme, defectum maternum„
ſupple viribus tuis, & obſiſte improbis Reipublicæ everſoribus;„
qui animo deſtituentur, ubi te modo noſtris in caſtris præſen-„
tem audierint. Nam à plebe deſerti, & militum robore, late-„
bras quærent, ac evaneſcent. Duæ civitates factioſæ, & nobi-„
lium pauci, qui licentia, damno ſuccedentis, armantur, omnis„
mali cauſſa ſunt. Aſt potior nobis Reipublicæ,quam commodi„
noſtri,cura eſt: & merito malus, qui privatum publico antepo-„
nit. Tales ama, tales omni ope conſilioque adjuva, Wilhelme,„
& inopinato adventu hoſtibus ſigna ſubripe. Adſit ad auden-„
dum animus; cætera in promtu erunt. Nos auctoritate ſimul,„
& ſubſidiis, juvabimus; nec pigebit vulnerum, quando pro pa-„
tria erunt: quam moribundam fato prævenire, quam deſertam,„
miſeramque relinquere mallemus; in hoc nati & educati, ut,„
citra illam nec ſalvi eſſe velimus, nec poſſimus. Sed tua ad id„
exſequendum imprimis ope nunc nobis opus eſt; quam ſuppli-„
ces petimus, rogamuſque, ne illa imponatur neceſſitas, alium„
potius, quam te ducē, quærendi: nam matrem tuam ferre nullus„
velit. Ad ea Wilhelmus,animo commotior: impie eos agere,qui„
filium in parentem, cui vitam debet, incitare conarentur. An„
non puderet,imo horrore percellerentur,poſt civile commotum„
bellum, alterum pejus machinari paricidiale. Mirari adhæc au-„

 daciam,

Digitized by Google

„daciam, & impudentiam ſceleratæ mentis ipſorum, quod talia
„poſtulare auderent, quæ ne quidem memoriam, aut cogitatio-
„nes ſubire oportuiſſet. Faceſſerent longe, & vindicem ſe illata-
„rum matri injuriarum, non fautorem brevi exſpectarent. Tam acerbo Wilhelmi reſponſo averſi à propoſito alii fuiſſent, quod illos non terruit. Cæterum quo obſtinatum expugnarent animum, iterata legatione, & vehementiore, obtundentes juvenis aures, perſuaſere tandem nefandum aggredi facinus. Movit juvenem aviditas imperii, & imprimis metus, ne excideret, quando alium electuri Principem, ſi in opinione perſiſteret, videbantur. Verum ſatius fuiſſet, pollicendo opem, medium ſe gerere inter utroſque, & ſpe lactare, quo ſtabiliretur ſimul matri, & ipſi imperium: quod agere in promtu fuiſſet, ſi minus ſe Houcciis geſſiſſet adverſum. Nunc partium dux factus, neceſſe habuit, melius de Republica ſentientes opprimere, & ſimul hoſtem habere matrem. Igitur Wilhelmus, occulte Hannoniam egreſſus, quammaximis poſſet itineribus, quo famam abitus præveniret, per Brabantiam ad Hollandos contendit; ubi mox cunctorum applauſu, percepto adventu, exceptus fuit: primo Gorichemi ab Arkelio toparcha; mox à Delfenſibus, qui obviam profecti, in urbem pertraxere, Comitemque ſalutarunt. Inde principem Hollandiæ urbem Dordrechtum petiit; ubi, ut & in cæteris Cabeliauicæ factionis civitatibus, Comes inauguratus eſt; ſingulis ſumma ope nitentibus, ne officiis in novum Principem vincerentur. Hactenus Houccii fortes pro Margarita. Sed enim cognito Wilhelmi adventu, ut denique exceptus, plebis defectionem metuentes, quæ ad novandas res avidiſſima ſemper, munitis præſidio caſtellis, Hannoniam petunt, queſtum Margaritæ de atroci facinore. Vt admiſſi, miſerationem inluſtres tot animæ ſtatim commoverunt; unuſque eorum accepta
„dicendi poteſtate; Non jam, Comes, inquit, de Flandrorum, de
„Friſiorum, aut Trajectinorum armis, querelas apud te deponimus:

